

Relicta Salmantica, venit Vallisoletum, tertia de more Societatis probatione in Collegio S. Ignatii exercendus. Et quoniam illius animi fervor per scholæ occupationes non interpuerat, facilius in sacro illo recessu ad eminentiorem perfectionis gradum ascendit. In frequenti, atque intima cum Deo consuetudine illud cum animo suoolvebat assidue, ut divinæ gloriæ, salutique mortalium promovendæ conatum, et vitam suam impenderet. Eoque inflammatus desiderio, ad Indos mitti petiit instanter: quod cum denegatum sibi esset ob infirmiores valetudinem, easdem preces aliquot post annis iteravit, quæ pariter exclusæ fuerunt ob eandem causam. Alium, nec sane angustum, exercendæ industriæ campum Deus illi præparaverat.

Post tertiam probationem in Collegio Methymnensi docuit primum Rhetoricam, deinde Philosophiam adolescentes nostros, et exterorum non paucos, qui eodem confluebant. Adhibuitque magnam erga omnes sollicitudinem, ut humana, divinaque bene instructi sapientia, utilem postmodum christianæ reipub. operam exhiberent. Neque suis tantum discipulis proderat, sed omnes tum domi, tum foris ad virtutem excitabat. Ac domi quidem præclaris religiosæ vitæ exemplis ita præibat omnibus, ut vel provectoribus venerationi esset, et magno ad officium explendum incitamento. Externi vero, cum ad eos bonus virtutum ejus odor brevi esset effusus, certatim illum vel pro tribunali sedentem sacro, vel e superiore loco dicentem requirebant, ut animi languoribus quærerent medicinam, et facundi oris eloquio ad honesti amorem accenderentur. Privatos quoque sermones prompte, ac scite in eam partem convertebat, unde solida quædam utilitas audientium animis obveniret. Proptereaque multi, etiam externi, perficiendi spiritus studiosi, frequenter ad illum accedebant, ut ex fervidis ejus colloquiis, prudentibusque consiliis proficerent ad virtutem. Hos inter eminuerunt religiosi duo viri Dominicani, et Parochus Vallisviridis, qui familiarem cum Petro consuetudinem, quem ipsi hominem Deo plenum appellabant, multum sibi profuisse testabantur, ut in perfectionis christianæ via progredierentur.

Methymna Vallisoletum rediit, ubi Theologiam professus
o o est,

est, et Sacros libros exposuit cum magna doctrinæ, neque minori sanctitatis opinione: ad quam maxime confirmandam quidam inopinus casus adjuvit, quo nihil solet esse opportunius ad virtutis meritum explorandum. In florentissima Sapientium corona thesin impugnabat Petrus, publicæ propositam disceptationi. Dumque suum acriter urget argumentum, quiddam posuit, quod *juxta Sanctorum Patrum sententiam* esse affirmavit. Id vero, quod inter Scholæ disceptatores satis est usitatum, eum graviter offendit, qui præerat concertationi: et cum debuisset positionem Petri vel rejicere, vel exponere, in alia omnia digressus, multis in eundem invehitur, illique præsertim arrogantiam exprobrat, et superbiam, qui Sanctos Patres, a quorum lectione longissime aberat, tam præfidenti voce allegasset. Stupebant omnes ad immoderatam licentiam hominis, sed magis ad invictam Petri patientiam, modestiamque singularem, qua tot convicia sine ulla interpellatione, sineque ullo commoti animi signo sustinuit: et postquam fastidiosus Agonotheta stomachum eruperat, interruptæ argumentationis filum, tanquam nihil evenisset adversi, pari tranquillitate ad finem usque deduxit. Novimus hæc ab Illmo D. Emmanuele Murillo, qui prædictæ disputationi tum adfuit, deindeque Segoviensis Episcopus renunciatus, insignem Petri modestiam cum ingenti admiratione commemorabat, ex eaque ajebat, altissimam se cæterarum ejus virtutum opinionem ab eo tempore induisse.

Quoniam ad Sacrorum voluminum explicationem multam adhibere debuit SS. PP. et Interpretum lectionem, eam nactus est occasionem, ut multa etiam annotaret, quibus deinde in Apostolico prædicandi munere uteretur. Etenim ad id muneris magna animi propensione ferebatur, nec levibus existimabat indiciis, a Deo sibi mentem illam immitti. Sed verus Ignatii filius vota sua Præsidibus exponebat, cæterum quidquid ipsi decernerent libenter executurus. Hi vero, quamquam in Petro præclaras animi dotes ad ministerium illud agnoscerent, et opimor jam fructus læti perspicerent, quos ille variis in excursionibus legerat, quas per æstivas ferias quotannis a suscepto fecerat Sacerdotio; debiliore sui corporis habitudine retinebantur, ne illi difficilem, quam optabat, provinciam penitus demandarent. Bono tamen animo es-

se jussus, in literaria pergebat exerceri palæstra, spe sibi facta non dubia, si quando salus ejus confirmaretur, ampliorem excolendi agri Dominici facultatem habiturum. Hac spe gaudens, nihil interea prætermisit, quo se melius ad gravissimum illud munus digne sustinendum compararet. Nam præter indefessum virtutis, doctrinæque studium, frequentes habebat orationes ad populum, et rudioribus fidei principia declarabat: prætereaque singulis annis, postquam cessaverant Scholæ, ad vicina excurrerebat oppida cum aliquo veterano, expertoque operario, per quem ad novum illud adversus vitia decertandi genus informaretur.

Inter eas Petri excursiones, quibus ad majora proludebat certamina, primæ fuerunt, quas anno hujus seculi decimo octavo, et nono ad Batuecos instituit. Hi tractum incolunt in ea Cauriensis diœcesis parte, quæ ad celebrem ædem accedit S. Mariæ a Francia nomine. Regio est in primis aspera, et saxosa, quæ præter apes, capras, et porcos vix aliud profert, quod possit inter vitæ commoda recenseri. Gens etiam ut plurimum agrestis, et in iis, quæ christianam attinent institutionem superiore præsertim tempore non admodum erudita. Eam proinde Salmantini Societatis Jesu Patres ante annos plurimos susceperant excolendam. Et laboriosum illud opus strenue per id tempus urgebat Joannes Abarizqueta, vir insigni animarum zelo, multarumque virtutum laude conspicuus: cujus viri nomen, et merita diu apud Salmantinos, et próximos circum populos celebrabuntur. Is ergo ad expeditionem illam difficilem, quæ probandis Evangelii ministris erat aptissima, curavit comitem sibi dari Petrum a Sacerdotio recentem, cujus propensum et aptum ad illud munus animum agnoscebat. Petrus vero, cui nihil esse posset optatius, suam illam ad Batuecos missionem libentissime suscepit, eamque deinde Apostolici sui ministerii tirocinium appellavit. Ibi enim didicit, sub probatissimi senis consiliis et exemplis, divinæ sementis fructus labores inter, ac sudores colligere per itinera difficillima, per montium prærupta, per stagnantium aquarum lacus, per hominum denique rusticorum pauperrima tuguria. Hic etiam ad retinendam frugalioris rationem victus, quam deinde suis in profectionibus constantissime servavit, ex rustici cujusdam

verbis multum se confirmatum esse asserebat. Nam quo primum die cum socio venerat ad Batuecos, hospes publico sumptu coenam, ut apud illam gentem, satis lautam instruxit: ex qua Patres cum præter olera, binaque ova nihil degustassent, seque in posterum modico, et paupere cibo usuros esse affirmarent: Si hæc ita sint, ait hospes, ego vobis sumptum omnem suppeditabo, neque ullam populus faciet impensam: et omnino præclarum est, ac laudabile, divini satores verbi victu frugi esse contentos. Hæc hospes ille, qui datam fidem exsolvit, et promissam a tribulibus impendii compensationem recusavit.

Dum Albercam, quæ regionis ejus est caput, sacris functionibus exercebant, magna ibi erat imbrium inopia. Hanc ut depellerent calamitatem, incolas hortati sunt Patres, ut cœlum precibus, se vero flagellis tunderent, aliisque affligerent pœnis, si vellent a Deo misericordiam extorquere. Indicta igitur est publica supplicatio, in qua multi vario suppliciorum genere se ipsi torquebant, ut Deum ad clementiam provocarent. Cum e templo procederent, spes nulla pluvix sereno cœlo affulgebat: sed repente nubibus obductus fuit æther, fuscisque precibus contrito corpore et corde, paulo post fusi quoque sunt imbres, qui per triduum aridam terræ faciem abunde irrigarunt. Tantam apud Deum vim habet humilis cum afflictione corporis conjuncta deprecatio!

Alias etiam per insequentes annos fecit Petrus excursiones, in quibus, cum brevi virtutem ejus, et eloquentiam fama vulgasset, frequentes ad eum veniebant populi, ut detersis pœnitentia culpis, ad meliorem frugem revocarentur. Elucebatque non raro singularis Dei providentia, qua peccatorum permovebat animos, et Petrum in susceptis pro se laboribus consolabatur. Adolescens quidam vitiorum cæno misere immersus, et conscientia delictorum stimulatus, ad S. Xaverium supplices fundebat preces, ut sibi opem ferret ad perumpendos Diaboli laqueos, quibus erat implexus, et peccata sua legitima confessione expianda. Is, post auditam vespere de supremo judicio gravissimam orationem, cum ad quiescendum discessisset, ad strati sui latus repente vidit S. Xaverium, et exadverso Christum Dominum, cujus e quinque
pla-

plagis pendebant schedulæ, in quibus scelera sua erant scripta: simulque distincte hanc vocem audivit: *Convertere, et age pœnitentiam; nam Deo nihil omnino est difficile.* Mane ad Petrum properat incinctus catena ferrea, eique attonitus, et stupore correptus, primum visionem nocturnam, deinde peccata sua cum ingenti dolore, ac lacrymis aperit, novamque ordiri vitam statuit, quam ut firmiter teneret, ad quandam Religiosorum familiam confugit.

Quo tempore Methymnæ Philosophiam explicabat, variis etiam pro Christo functus est legationibus. In earum quadam, ut in oppidum perveniret, in quo postridie celebres habendæ erant nundinæ, duas et triginta leucas sine ulla somni, aut quietis intercapedine confecit, quo plures ex vicinia populi, adventu ejus per nundinatores evulgato, ad audiendum illum confluerent. Illa ipsa nocte in oppidum ingressus, repente cœpit incolas ad pœnitentiam excitare, hortarique vehementer, ne præterlabi sinerent oblatam placandi Numinis occasionem. Postera die miles quidam ad Petri pedes cum procubuisse: Sine dubio vos, inquit, huc loci bonus Dei Angelus opportunissime adduxit. Nam ego certam elapsæ noctis horam jam designaveram, in qua conjugem meam propter adulterium occiderem. Sed vestris sententiis, quæ meum animum intime pervaserunt, agnitam consilii mei temeritatem sum execratus, et acceptam condonare injuriam statui. His dictis, confessionem vitæ totius instituit: et Petrus, collaudata Dei misericordia, suscepti molestiam itineris vel hac una præda sufficientissime duxit sibi esse repensam.

Alibi dum obvios quosque per oppidi vias ad audiendum Dei verbum invitat, in globum hominum incidit, qui nuptiale convivium celebraturi, in atrium cujusdam domus conveniant. Et hi quidem Petrum in templum sequi, dilata tantisper cœna, minime detrectarunt. Sed Sponsi Pater, cui nuptiarum lætitia ex eorum discessu funestanda videbatur, ostii limen occupat, indeque efferre pedem nemini permittit. Petro igitur in concionem abeunte, convivæ postmodum mensis accumbunt: sed infelix Sponsi Pater, qui eos melioribus epulis prohibuerat, suas ipse gustare vix potuit. Sumptâ enim prima buccella, totus obrigit, et subita correptus est morte: cujus

fama cum in omnem circa regionem protinus emanasset, populi luculento illo divinæ ultionis exemplo commoti, ad auscultandum Petrum turmatim accurrerunt: et ibi major extitit fructus, ubi eum Satanæ contenderat imminuere.

His animarum lucris per ætatem intentus, imminente jam Studiorum instauratione, domum revertebatur, ut in demandatis Scholæ exercitiis suam strenue operam collocaret. Et quanquam major erat in dies sua in illud evangelizandi munus propensio, eidemque se totum dedere vehementer optabat; divinæ tamen subditus voluntati, literariis occupationibus sedulo incubuit, donec illius vota singulari quadam ratione Deus explevit. Vallisoletum, ubi Petrus Sacram Scripturam interpretabatur, ad audiendam Theologiam per id tempus venerat. Augustinus ille Cardaverazius, cujus vitæ innocentiam, et morum sanctitatem supra descripsimus. Is, postquam Deo rem valde commendaverat, ad promovendam ejusdem gloriam, cujus erat studiosissimus, alienum a conditione sua non duxit Romam scribere, ut Petrus sacris, quas appellant, missionibus destinaretur, ad quas et a Deo vocabatur, et quibus digne obeundis erat aptissimus. Et oportet, has juvenis literas gravissimo rationum pondere fuisse suffultas. Nam Præpositus Generalis sine mora Provinciali præcepit, ut Petrum Calatayudium per urbes, et regiones ad prædicandum mitteret, eumque ab omni alio munere absolveret, quod posset ejusmodi missiones impedire. Petrus hoc accepto nuntio lætissimus, maximas Deo egit gratias, eique denuo sese devovit ad hominum salutem omni animi et corporis contentione procurandam, et augendam sanctissimi sui Nominis gloriam.

Deus autem, qui Petrum ad Apostolicum munus elegerat, iis eum donis ornaverat, quibus eidem par esset adimplendo. Ex his quædam complexus est paucis eruditissimus Feijous, qui cum Petrum Oveti concionantem audisset, de illo sic deinde scribebat: „Eas cœlitus accepit dotes, quæ huic „aptissimæ sunt adeo difficili ministerio. Vultum gravem, et „placidum, qui solo aspectu venerationem sibi conciliat, et „amorem: vocem perspicuam, sonoram, et tersam, quæ intra naturalem contenta tonum, amplissimum complet auditorium: pronuntiationem apertam, exacteque terminatam, „quæ

„ quæ nullum non apicem in astantium aures immittit : stilum
„ simpliciter nobilem, quo vel cultissimus quisque capitur, neque
„ a rudioribus non intelligitur: solidum intellectum, qui recta
„ contendit in verum, solidioraque reperit argumenta, ut ve-
„ rum recta penetret ad auditores Neminem unquam nec
„ suavius, nec efficacius Dei verbum proferentem audiui. „
Erat insuper procero corpore, et gracili; sed recto, laborisque
patientissimo: quod eum ad aliquas sui muneris partes melius
explendas mirifice juvit: ut cum per compita, et vias urbium
discurrens, gravissimis hac, illac tonabat sententiis, quibus tan-
quam spiculis civium animos percellerat: vel cum in destina-
tum concioni locum virorum, ac mulierum longissimum agmen
ducens, omnes in convenienti sibi sede, ne quid perturbatum,
aut indecorum esset, miro ordine, miraue dexteritate collo-
cabat. Facies denique subpallida, et macilenta, quæ verbis
ejus non parum addebat ponderis, cum præsertim notum es-
set, maciem illam ex jejunio, et oratione, ex vigiliis, aliis-
que asperitatibus, et assiduis laboribus provenire.

Sed animi sui dotes multo quam corporis fuere præstan-
tiores. Etenim memoriam adeptus est tenacissimam, ut vel in
ultima senectute commemoraret exacte locorum ac temporum
adjuncta omnia, fideliterque redderet eorum nomina, et co-
gnomina, quibuscum egerat aliquando. Hæc illi magno fuit
adjumento ad gravissima expedienda negotia, sicut etiam ad
multa illa opera edenda, quæ inter itinerum difficultates, et
immensam aliarum occupationum molem elaboravit. Mentem
etiam habuit perspicacissimam, quam ille ab novitatum studio
cohibitam, earum imbuere rerum notitia, quæ ad pertrahendos
in Deum homines maxime faciunt. Theologiam, quam vo-
cant expositivam, moralem, et mysticam, eloquentiam quo-
que sacram ita coluit, in eisque assidua contentione ita pro-
fecit, ut iis admirationi fuerit, qui eum agnoverunt. Atque
ad eas præsertim facultates referri possunt docta illa volumi-
na, quæ tanto cum animarum fructu in lucem edidit, et alia,
quæ inedita reliquit. Præfervidum, et actuosum ejus ingenium
multum ei contulit ad res arduas aggrediendas, quas favente
Deo, mirantibusque hominibus confecit.

His animi et corporis dotibus alia etiam accessere dona
sin-

singularia. Talis erat eximia illa auctoritas, quam sine ullo fastu, aut offensione ulla exercebat promiscue erga omnes, qui sibi aliquod in ministerio suo ferre possent auxilium. Coalescebat autem illa tum ex impigro ejus ad agendum animo, tum etiam ex demissionis, et urbanitatis grata quadam temperatura, quæ cum eorum, quos alloquebatur, gratiam sibi comparasset, ad promovendum divinum opus majorem in modum inserviebat. Jam illa vis permovendi animos, cum e superiori loco diceret, variosque pro varietate argumenti affectus excitaret, plane inimitabilis, peneque divina videbatur. Nunc acriter in scelera invectus et vitia, tanto auditores terrore concutiebat, ipsi ut parietes templi nutare viderentur: nunc miserratus peccatorum vicem, ita Dei clementiam exaltabat, ut omnibus spem veniæ faceret indubitatam. Sed cum arrepta Crucifixi imagine, venerat ad perorandum, tum enimvero se ipse multis partibus excedebat, neque ullus erat animo adeo duro, ac pervicaci, quem illius verba non frangerent. Præterea, ut ex narrationis serie apparebit, non raro ea fecit, ac dixit, quæ multi sine superna ope, divinoque instinctu aut fieri, aut agnosci non posse fatebantur.

Sed nihil erat ad persuadendum efficacius, quam ipsius Petri vita, moresque sanctissimi, quos in longo suarum peregrinationum cursu per annos quadraginta tenuit, et usu quotidiano perfecit. In assiduis per Hispaniæ regiones itineribus optimus virtutum ejus odor undique diffundebatur, plurimosque ad eum videndum, audiendum, et consulendum pertrahebat. In quibus pernoctabat oppidis, illud ante omnia curabat diligentissime, ut postridie bene mane Sacrificium offerre posset, quod faciebat cum magna religione, et animi jucunditate. Iter ingressus, recitabat statim itinerarium, Litanias, aliasque preces, ad implorandam opem Mariæ Virginis, Angelorumque custodum, et aliorum Cœlitum, quos in suarum elegerat expeditionum Patronos. His peractis, horam minimum dabat meditationi, quam summa cum attentione, ac reverentia peragebat. Deinde cum socio per aliquod spatium ea conferebat, quæ in destinato ad concionandum loco agenda sibi essent: rursusque ad preces, et psalmos convertebatur, ut spiritum foveret, ac devotionem. Appropinquante jam meridie,
con-

conscientiam discutiebat, et Lauretanæ Virginis laudes iterebat. Eundem fere modum in itinere tenebat pomeridiano. Cum autem in diversoria pervenisset, deprompto, quem portabat secum, scribendi apparatu, quidquid sibi supererat temporis, dabat scriptioni. Atque his brevibus, sed optime collocatis momentis plerosque debemus libros, quos Petrus multo doctrinæ succo refertos cum multa sapientissimorum hominum admiratione vulgavit.

In mutua, frequentique civium contentione, quis eorum Petrum esset excepturus, ipse, quantum poterat, alicujus Sacerdotis domum præferebat: eaque suorum votorum erat summa, ut conclave aliquod obtineret, in quo procul a strepitu orationi vacare posset, et studiis. Continuo rogabat omnes suppliciter, ut omissis urbanis salutationibus, ad se non nisi de negotio salutis acturi convenirent: cui quidem pertractando, neminem seu pauperem, seu divitem die noctuque liberum ad se accessum non habiturum. Feminas vero, cujuscunque conditionis essent, auscultabat in templo: et quæ domi erant, non nisi absente Petro, in illius cubiculum ingrediebantur. Cibus ejus intritæ carnis modico ferculo, decoctisque constabat herbis, quibus interdum aliquid ex arborum fructibus superaddebat: nec patiebatur sibi quidquam inferri, quod lautitiam redoleret. Quod si nonnunquam id cavere non poterat, ut cum Præsulum, aut Procerum mensis accumbere cogebatur, suum nihilominus tenebat parsimoniam modum, excusatione usus stomachi debilioris. Et cum in his optimatum domibus impensorem videbat curam, qua ei omnes inservire studebant, solitus erat dicere: *Blandiora hæc Deus cito durioribus compensabit*. Idque omnino ita fieri affirmabat, ut in proxima expeditione, vel in itinere, vel in hospitiiis brevi ipse lueret, quidquid alibi habuerat commodi, vel honoris.

Somno non largius indulgebat, quam cibo. Secunda post medium noctis hora plerumque surgebat ad orandum. Non raro tamen, ob fortuitum aliquem casum ante horam illam requisitus, extra lectum innixus genibus reperiebatur. Id tum maxime fiebat, cum Deus illum, ad probandam ejus constantiam, et humilitatem inter hominum plausus stabiliendam,

magnis per intervalla quædam exercebat derelictionibus. In his Petrus adeo gravi mœstitia premebatur, densioresque tenebræ sic ejus mentem obnubilabant, nihil ut Deo gratum, hominibusque proficuum hactenus egisse existimaret, seque a recto bene operandi tramite transversum agi pertimesceret. Sed cum ad eas redigebatur angustias, primum exemplo Christi prolixius orabat, deinde ad Confessarium sub auroram recurrebat, ut eidem animum aperiret, et consilium ab eo peteret ad sustinendum: factaque confessione, atque oblato Sacrificio, nubila diffugiebant omnia, ipseque ad multiplices officii sui labores impigro animo, ac dilatato corde revertebatur.

Hæc erat Petri vitæ ratio: cum aliis vero hunc fere agendi modum observabat. Cum prope jam aberat ab eo populo, ad quem in spiritu erudiendum mittebatur, desiliens e mula, vel asello, quem sæpe in itineribus adhibuit, flexis humi genibus, hymnum *Veni Creator* cum socio pronuntiabat, aliasque addebat preces pro felici suæ profectionis eventu. Inde silentio procedens usque ad urbem, ad quam sub vesperum, quoad ejus fieri posset, accedebat, in ipso ingressu benedictionem incolis cum elevata Crucifixi imagine impertiebat. Hic eum nonnulli cives expectabant, quos de suo in eam urbem adventu præmonuerat. Crucifixum ei portandum dabat, qui nobilem in Clero tenebat locum, aut etiam Episcopo, dum is (quod sæpe contigit) ingredienti Petro occurrisset. Ipse vero cum socio et aliis, quos in auxilium advocabat, sacro quodam ardore succensus, per mediam penetrabat urbem, elataque et arguta voce varias iterabat sententias, quæ ad feriendos peccatorum animos, eorumque veterum excutendum erant opportunissimæ. Ad insolitum illud, ac plerisque non opinatum præconium tota civitas commovebatur, tantique fiebant animorum motus, ut non semel aliqui, ad Petri pedes procumbentes, sua coeperint peccata publice confiteri. Cum ad plateam aliquam devenisset, parumper subsistens, brevem habebat exhortationem, quam finiebat ferventi contritionis actu. Inde progressus in templum, super illa verba Jonæ: *Adbuc quadraginta dies, et Ninive subvertetur*, tam gravi, et efficaci dictionis genere disserebat, ut conterriti auditores vix egredi auderent, absoluta jam concione, donec
jus-

jussisset Petrus: qui dispositis ad viarum capita luminibus, nequid inordinatum esset, vel incommodum, omnes salutaribus instructos monitis dimittebat in domos suas.

Statim operam dabat strenuam, ut finitimi populi per Curiones urbanos ad audiendos Dei Nuntios invitarentur. Divulgatoque Petri adventu in aliquam urbem; qui tres, quatuorve distabant leucas, neque pauci ex remotioribus locis ad eam properabant urbem, ut tanti viri doctrina fruerentur. Propterea, cum vix ulla ædes sacra tantam caperet auditorum frequentiam; sæpe enim in primariis urbibus viginti, vel triginta millia hominum, nonnunquam plures ad audiendum Petrum convenere; is plerumque in plateis, aut in campis dicere cogebatur. Atque ut apte omnia, et ordinate fierent; postquam adventus sui finem, et quanta inde sperare bona possent, exposuerat; conversus ad magistratum Ecclesiasticum, et Civilem, per Jesum, ejusque Matrem humiliter et instantè obtestabatur, ut se Patronos ejus operis constituerent, quod in maximum animorum, totiusque reip. commodum cesserum esset. Idem ab illustrioribus petebat civibus; et quotquot aliquo pietatis studio tenerentur, orabat similiter, ut Angelorum pacis æmulati solertiam, alios ad concionem sollicitarent, sic a Deo suorum veniam peccatorum facilius impetraturi. His precibus nemo non flectebatur, et nobilissimi quique illa certatim obibant munera, quæ Petrus designasset. Alii enim ad excipiendos, dimittendosque advenas accurrebant, quibus etiam, dum opus esset, receptum intra domos suas humanissime dabant: alii sumpta in manus arundine, ductores, præfectos, ac designatores agebant, ut rectus ubique ordo tam in publicis supplicationibus, quam in concionibus servaretur: alii alia multa præstabant, nullique parcebant operæ, ut omnes uberiolem fructum ex Petri laboribus reportarent.

Ante quartum, quintumve diem non solitus erat in templum ad audiendas confessiones prodire, ut interim Dei timor per inculcatas fidei veritates altius in auditorum cordibus infigeretur. Per eos dies, convocatis in conclave aliquod Confessariis, privatam ad illos habebat orationem de recta, et expedita ratione confessiones audiendi, quæ utpote ab exper-

to profecta Magistro, plurimi ab omnibus habebatur. Deinde universum populum copiosa, solidaque doctrina instruebat circa modum generalis confessionis rite instituendæ. Ab hac instructione, quam ipse peccatorum everriculum appellabat, præcipuum industriæ suæ fructum pendere censebat, eamque proinde in urbibus iterabat, ut quamplurimos ad perseverantem vitæ emendationem adduceret. Erat enim ad conscientias salubriter agitandas magno studio, et artificio elaborata: per illamque Petrus id plerumque obtinebat (quod et de cæteris ejus instructionibus dictum esto) ut unumquemque delictorum spinæ sic pungerent, ut ad eas per confessionem evellendas properaret. Hac arte ultra centena hominum millia ad confessionem generalem induxit.

Ardens ejus studium pro divini Nominis honore tuendo vehementer illum incitabat, ut perjuria, et imprecationes compesceret. Itaque postquam hoc vitium accerrima declamatione reprehenderat, auditores hortabatur, ut quoniam toties urbis suæ vias, et aera contumeliosis in Deum, et homines verbis contaminaverant, sanctioribus aliquando vocibus repurgarent. Istæ hæc præfatus, viros pone se venire jubebat (feminas Petri socius alia ductabat via) et imaginem præferens Crucifixi, per varias regiones urbis alta voce clamabat: *Vivat Jesus: pereant maledicta*: et his Petri vocibus reliqui omnes succinebant. Nonnunquam subsistens imperabat, ut omnes in genua procumbentes, osculum terræ figerent; maledici, ut oris sui petulantiam expiarent; innocentes vero, ut veniam maledicis obtinerent. Post hæc regressus in templum, cunctis agebat gratias, quod plaudente cælo, et tartaro valde infremente, Sanctissimum Dei Nomen, ab obtreptorum linguis proscissum, ipsi præclaro religionis documento honorare studuissent. Præterea patres familias fidem obligare suam cogebat, nullum in ipsorum domibus juramentum, nullam imprecationem, siquando audiretur, sine supplicio relicturos. Deinde conversus ad pueros, quos in eodem, ac patenti omnibus loco constituerat, injungebat eis, ut sublatis in cælum manibus, de parentum ipsorum culpis veniam a Deo postularent. Tum pueri, præeunte Petro, plenissimam pietatis deprecationem progenitoribus fundebant suis, quæ non modo lacrymarum imbrem.

brem, sed morum etiam afferebat emendationem. Denique iisdem pueris imperabat, ut quoties aliquem nefanda verba promentem audirent, continuo inclamarent: *Vivat Jesus: osculare terram*. Et pueri, quippe quos varius ad homines respectus continere non solet, adeo imperterritè imperata faciebant, ut mirabiles inde consecuti sint effectus.

Adversus inimicitias, mutuaque odia non solo verborum pondere, sed quodam etiam opportuno rerum apparatu declamabat. Post solitam instructionem, in qua omnes argumenti partes distincte ac sapienter enucleabat, gravi et eloquenti oratione complectebatur quidquid christiana pectora ad deponendum odium debet impellere. Sub orationis finem augustum altaris Sacramentum ad conspectum populi sub conopeo magna cærimonia exponebatur: et Petrus ferventi prece rogabat Dominum, ut extinctis inimiciis, sublatisque simultatibus, pacis et concordie spiritum in omnium animos vellet infundere. Et cum totius populi crimina in se ipse conjiceret, deposito amiculo lineo, poenitentis assumebat habitum, suspenso e collo fune, et spinis capite circumcincto. Eo indutus cultu, reductoque in tabernaculum Sacramento, crucem cum pendentis Christi imagine desumebat: aspersa cruore vulnera populo demonstrabat: et cum potestate vere Apostolica præcipiebat omnibus, ut viri viros, feminae pariter feminas in sinceri amoris signum invicem amplecterentur. Id nemo cunctabatur efficere: quin imo deinde per vias, perque domos plurimi cursitabant, ut illatæ injuriæ veniam peterent, vel acceptam condonarent: sicque restinctis odiis, in veterem redibant gratiam, et amicitiam.

Sed quoniam in magno populo magna etiam in quibusdam esse solet morum perversitas; Petrus ad eorum animos expugnandos, qui vel concionibus adesse nolebant, vel iis frequentatis, nondum ex fæce vitiorum emergerant; aliam adhibebat industriam, quam, mutuato e re militari nomine, vocabat irruptionem: eamque in hunc fere modum instruebat. Indicta in certam diem publica supplicatione, postquam cives vespere convenerant in templum, multi et Ecclesiastici, et Religiosi viri, quos Petrus invitaverat, intra duos longissimi agminis ordines per intervalla dispositi, verbis ac sen-

ten-

tentiis opportunissimis civium animos indesinenter ad poenitentiam provocabant. Hoc modo per urbem incedebant, ut ii quoque, quos desidia domi continuisset, salutis monita exciperent vel inviti. Evenitque nonnunquam, ut qui ex itinere in cauponam diverterant viatores, salutaribus permoti consiliis, quæ fortuito a prætereuntibus audierunt Concionatoribus, vitæ suæ rationes in melius commutaverint. Bini, vel terni ex præcipuis Oratoribus in plateis totidem, aut in templo, brevem aliquam, ac vehementem habebant orationem ad circumfusam multitudinem. Et cum in locum, unde prodierant, revertissent, iterato contritionis actu, dimittebantur. Sed egrediente populo, sacri Præcones in ipso templi atrio, et in vicinia non cessabant Dei timorem, et peccati odium abeuntibus inspirare. Hæc omnia nocturno peracta tempore, quanquam viæ accensis lampadibus illustrabantur, sacrum quemdam horrorem incutiebant, qui vel durissimis flectendis animis vim habere maximam agnoscebatur. Multos enim ab ea die tantus admissorum dolor occupabat, ut se noctu flagellis cæderent per vias urbis, aliaque ederent poenitentiae signa, quæ ad excitandam, et augendam in aliis compunctionem valebant plurimum.

Præter publicas ad populum orationes, multas privatim habebat ad Sacerdotes præsertim, et Virgines Deo sacras, quibus commentationes S. Ignatii sæpissime proposuit ad meditando. Quocunque pedem inferret, nullam non tentabat viam, ut exterminatis morum corruptelis, omnia per justitiæ leges ad nitorem pristinum revocarentur. Sodalitates ad fovendam pietatem erigebat: carceribus inclusos, ægrotos, moribundos invisebat, solabatur, adjuvabat: lites, inimicitias, conjugum dissidia componebat. Nihil denique, quod ad honorem Dei, et animorum spectaret salutem, relinquebat intactum. Et dum in urbe una tot, tantaque moliebatur, in aliis simul per literas, per responsa ad frequentes de rebus gravissimis consultationes multa alia curabat, expediebatque negotia, in quibus et privatum quorundam, et publicum urbium, ac diœcesum spiritale commodum vertebatur. Patebunt hæc manifestius ex iis, quæ modo de nonnullis Petri expeditionibus singillatim dicam. Sed antequam narrationem istam aggrediar,

lud dolenter præmonere debeo, commentarios illos, qui de Petri rebus gestis confecti fuerant diligenter, ut post illius mortem evulgarentur, in Sociorum ab Hispania expulsionem, et in Parmensi itinere periisse. Unde multa ignoremus necesse est, quæ ad præclaram Petri laudem efficerent, et virtutum ejus præstantiam exhiberent. His interim alia sufficiemus ab incorruptis accepta testibus, qui Petrum aut in suis laboribus adjuvabant, aut eum alibi cognoverunt.

Annus erat a partu Virginis 1727, cum Petrus, relicto Scholæ magisterio, et emissa jam quatuor votorum professione, ad Apostolicum ministerium fuit designatus. Initio nonnullas regni Legionensis, et Castellæ veteris urbes, et oppida peragravit, ut ex iis in vicinos pagos cœlestis doctrinæ lumen effunderetur. Vix primam adorsus fuerat excursionem ad oppidum Paredes de Nava, cum febris correptus fuit in itinere. Sed adveniente postmodum socio, quem Becerrilli expectabat, diutius contineri non potuit: et cum inchoatum arripuisset iter, febris illum dimisit, antequam Paredes adveniret, ubi sine mora cœpit incolas ad emendationem vitæ adhortari. Post dies aliquot cum in suggestum, redeunte febre, conscendere non posset, socium jussit eo die ad populum verba facere. Is erat juvenis, qui recenter ab Scholis dimissus, nullum habuerat otium ad ea commentanda, quæ pro concione diceret: itaque multis institit, ne imparato sibi onus illud imponeretur. Sed Petrus serio præcepit, ut jussa perficeret: et cum adhuc ex ingenti metu reluctantem videret: Ne timeas, addidit; neque enim verba tibi deerunt opportuna. Illudque tibi confirmo: eam te mercedem obedientiæ tuæ consecuturum, ut nunquam deinceps metuas inter dicendum. Paruit ille tandem, et per horam adeo expedite dixit, ut multis post annis, in quibus Oratorem egit, et verum expertus est Petri promissum, rem ipse cum admiratione commemoraret. Sed multo miratus fuit vehementius, cum Petrum coram se genuflexum vidit, enixeque deprecantem, ut se sinneret jejunium agere in proximo SS. Simonis, et Judæ pervigilio. Obstupuit initio socius ea talis viri prece, atque animi demissione; sed cum se recepisset, noluit infirmi votis annuere. Tum Petrus: Libenter, ait, obediam tibi; nunc enim cer-

certus sum, me Dei voluntatem explere. Parem obedientiæ submissionem cæteris deinde sociis exhibuit, quorum arbitrio Petrum subjecerant Superiores in his, quæ ad ejus valetudinem spectarent, ne pro suo austeritatis studio corpus ultra modum affligeret.

Postquam Paredianos diligenter instruxerat, eisque ad conceptum fervorem retinendum Scholam Marianam constituerat, Taurum nobilem urbem excolendam suscepit. Eo profectus, tantisper substitit Villagarsia, dum designata dies aderat, in quam Episcopus Senticensis, cui Taurus subest, eodem se conventurum scripserat, ut advenientem Petrum exciperet. Sed Petrus, mutata sententia, ante conductam diem repente viam arripuit, et admonenti socio de iis, quæ sibi cum Antistite convenerant, sic ait: Quæ proponis, verum quidem habent; sed ego nimium incommode valeo, ac nisi hodie iter ingrediar, frustranda erit nostra profectio. Taurum igitur eodem die pervenit, et omnes ministerii sui partes cum ingenti civium fructu, et Episcopi consolatione adimplevit. Sed inde Villamgarsiam regressus, statim in gravissimum incidit morbum, ob quem ad extrema redactus, extremis etiam munendus fuit Sacramentis. Id cum non semel Petro contigerit, ut expeditionem aliquam defectus viribus aggredieretur, in eaque peragenda convalesceret, socii ejus minime dubitabant, superiori perfusum lumine in his eum casibus operari.

Propterea, dum pedibus posset insistere, nulla eum corporis incommoda retardabant, ne novos pro Deo labores assumeret. Cum primum febris illum reliquit, ad Palentini Collegii Rectorem his verbis scripsit Villagarsia: *Nudius tertius extremam unctionem recepi, et crastina die, juvante Deo, hinc proficiscar, ut legatione mea in urbe ista perfungar.* Tam prompte ab exuperante spiritus fortitudine exanimi pene corpori vires accesserant. Palentiam quo dixerat die profectus, magnam ibi morum conformationem induxit, ejusque virtutum fama post longum annorum cursum recenti adhuc memoria celebrabatur. Hic primum adjunctus illi fuit Joannes Carbajosa, quem Superiores assiduum Petri cooperatorem designarunt, in hoc etiam Augustini Cardaverazii secuti consilium, qui suam rogatus sententiam, nihil aut Deo gra-

gratius, aut Petro commodius fore respondit, quam si ei socius daretur Carbajosa. Nec facile par hominum invenisses, qui tam uniformi spiritu, et consentientibus animis ad promovendam Dei gloriam conspirarent. Hunc Petrus et fidissimum comitem, et strenuum adiutorem habuit, donec immensis fractum laboribus, in quibus vitam ponere optabat, alio Præsides, ut saluti ejus consulerent, post annos septemdecim avocarunt.

Hoc fultus auxilio, quo nihil ad ejus vasta consilia erat accommodatius, Petrus in Gallæciam pertransiit. Hic annum commoratus, multas ejus regni partes sua prædicatione illustravit. Nam præter Compostellam, et Corunniam, Tydem etiam, et Vigum, et Noyam, et Betanzios adiisse constat, in quarum singulis granum Evangelicum magno cum fœnore seminavit. Betanziis in exigua urbe tanta fuit advenarum frequentia, ut in publica pœnali supplicatione, quæ post celebratum ad aras generale convivium habita fuit, triginta sex millia hominum censerentur. Huic ordinandæ supplicationi adesse voluit Comes Itrensis, qui in Gallæcia pro Rege summam habuit imperii. Idem quoque, ut Petri conatus feliciter provenirent, multum et exemplo suo, et egregia contulit largitate. Domi suæ quotidie prandium apparari jussit pro cibandis pauperibus exteris, quorum numerus interdum attingit ad trecentos. Indeque fiebat, ut quem frangebat Petrus cœlestis doctrinæ panem, diutius illi, atque avidius degustarent. Cæteri cives liberaliter etiam advenas pro sua quisque facultate excipiebant. Nec defuit singularis quædam divinæ bonitatis significatio, quæ meritum hospitalitatis comprobavit. Mulier quædam minime locuples nunc duodecim, nunc etiam quatuordecim, aliquando pauciores recepit hospites. His initio duos panes apposuit, qui uncias non excedebant quinquaginta, additis quotidie caulibus, et nonnihil obsonii. Post dies quinque, in quibus eam exhibuit beneficentiam, consumpto penitus obsonio, panes illi duo, quibus ipsa etiam cum marito, et filia vescebatur, non fuerunt absumpti. In illa peregre venientium multitudine tres feminæ, in eodem degentes pago, cui nomen Oix inditum, audiendi divini verbi præclarum exhibuerunt studium. Earum singulæ lactentem habebant filium:

et ex communi consilio ita inter se partitæ sunt curas infantium, ut cum eis una quotidie maneret domi, aliæ duæ per vices ad conciones adirent.

Haud minorem habuit Compostellæ, et in portu Brigantino frequentiam auditorum. Ibi ad commendandam, et recipiendam Petri doctrinam plurimum valuit exemplum, et sollicitudo Illustrissimi Archiepiscopi Josephi Jeremi, qui concionibus constanter interfuit, et ad eas multos amplissimæ diœcesis Parochos convocavit. Inter alia pietatis opera, quæ ibidem excitanda curavit, utilissimum Matronarum coetum instituit, quæ feminis in Hospitali domo ægrotantibus cibum quotidie ministrabant, et inter exercendam misericordiam, caducam mortalium omnium conditionem edocebantur. Cum deinde ad Brigantinum portum accessit, in ipso urbis ingressu feminam, quæ a patria, et a marito suo diffugerat, in Deum miro modo convertit. Aderat hæc, dum Petrus solutos quorundam mores, nullius indicato nomine, coarguebat: et inter alios, vel fortuito, vel Deo movente linguam, uxorem reprehendit, quæ a conjugē ante annos quinque discesserat. Totidem omnino erant anni, cum femina illa suum reliquerat virum, ut ipsa postmodum confirmavit. Unde his intime perculsa verbis, anteactæ vitæ noxas eluere, et ad officium redire constituit. Illustris ejusdem urbis Senatus multum Petro honorem, multam exhibuit venerationem. Ab eo Senatores cuncti documenta quædam audire voluerunt, quæ ipse id genus viris tradere consueverat, ut eam in administranda justitia sollicitudinem adhiberent, quæ a caritate, cæterisque virtutibus minime descisceret. Atque ita ipsius verbis ad caritatem sunt excitati, ut paulo post, inspectante plaudenteque populo, reis in custodia detentis copiosum cibum publice detulerint, et impertiverint. Pueri quoque his valde incitati, quæ Petrus de cultu Mariæ Virginis frequenter inculcabat, Congregationem erexerunt, ut Rosarii preces per urbem composito agmine decantarent. Et cum multi deinde viri pueros æmularentur, viæ passim B. V. laudibus personabant. Eum denique fervorem spiritus tota civitas, audito Petro, concepit, ut post multos ab ejus discessu dies, et rigidæ flagellationes audirentur, et alia plectendi corporis exercerentur instrumenta.

Ex Gallæcia pedem retulit in Navarram, ibique in patria videlicet sua nonnihil eorum cœpit jam experiri, quæ ministerium gloriæ Dei consequantur necesse est. Nonnulli divinarum rerum parum experti, quam tenebat Petrus annuntiandi Evangelii rationem, tanquam novam, et obnoxiam incommodis improbabant. Horum præjudicatis opinionibus imbutus Episcopus Pompelonensis Melchior Angelus Gutierrius, vix inducebat animum, ut Petrum in suam urbem admitteret. Sed cum esset vir insigni pietate, ac prudentia, literas ad Petrum misit, quibus ea complectebatur, quæ contra ejus agendi morem audierat. His ille tam sincere, tantaque erga Præsulem reverentia respondit, et quæ objiciebantur, ita disjecit, ut Episcopus sine mora plenam ei fecerit adventandi potestatem, eaque præstandi omnia, quæ alibi efficere consuevisset. Hac habita facultate, postquam Stellæ cives ad meliorem vitæ formam erudierat, inde Pompelonem iter instituit. In hoc itinere, velut strenam copiosæ colligendæ frugis, Deus illi hominem adduxit, qui sanctitatis ejus fama permotus, magno apud eum confitendi flagrabat desiderio. Sed quoniam alienigena erat, peregrinique sermonis, quem Petrus ignorabat; rogatus est, velletne interpretem adhibere nobilem quendam adolescentem, qui linguam ejus noverat, et Petrum eo die mira prorsus Dei providentia comitabatur. Annuente illo, confessionem suam, a pueritia repetens, largis fletibus magnisque gemitibus, qui vocem ei passim intercludebant, tandem absolvit. Et quanquam inde incredibilem animi traxerat consolationem, tamen ex ingenti spiritus contritione sic ejus debilitatum est corpus, ut Petrus eum in lecto collocari jusserit, cibosque afferri, quibus nimium exhaustum viribus refocillaret.

Eodem die, cum jam advesperasceret, Pompelonem venit, statimque cœpit civibus indicere pœnitentiam. Modicum intra portam urbis cum processisset, ad pedes ejus accidit homo quidam, quem scelerum dolor, et Petri verba confixerant. Eum obiter pro tempore consolatus, porro perrexit, faces subjiciens omnibus ad pœnitendum. Cum ad Episcopale palatium accessit, obviam ei venit Episcopus, qui accepta, quam ferebat Petrus, imagine Crucifixi, cum cæteris processit ad templum Societatis. Hic Petrus sermonem habuit, cunctosque pau-

cis admonuit, quid eis per insequentes dies agendum esset, si Dei vellent iram avertere, ejusque misericordiam promereri. Episcopus, qui attente observabat omnia, ita captus est zelo, et eloquentia Concionatoris, ut aures ei præbere nunquam desierit. Circuibant quotidie pueri vias urbis post meridiem, sacrisque cantuunculis admonebant cives, ut ad concionis locum accederent: et cum præteribant ante Præsulis ædes, ipse pueris adjungebatur, et cum eis pariter cantando veniebat in templum, ibique prope suggestum perseverabat, donec concio dimitteretur. Ad Pastoris exemplum grex quoque solite ad salutaria pascua currebat. Nec soli veniebant cives, sed accolæ insuper ex centum et undecim oppidis, quæ in undenis circa eam urbem vallibus sita sunt: in quorum aliquo tantum audiendi Petri exarsit studium, ut fere omnes ad eum venerint præter Sacerdotem quendam, et Judicem, qui ad custodiam oppidi remanserunt.

Auditorum multitudini ubertas etiam fructus respondit. Magna ubique propter offensas Deo illatas contritio, magnæque pro his vindicandis voluntariæ castigationes: multæ jam contestatæ lites vel diremptæ partium consensu, vel omnino rescissæ. Unde vir quidam disertus affirmabat, si Petrus dicendo pergeret, nullum ibi Causidicis relinquendum esse locum suæ facultatis exercendæ. Multæ insuper, quæ dissutæ fuerant amicitia, denuo conflata, et multorum extincta sunt odia. In quo præclarum inter cæteros præbuit exemplum vir genere, et opibus, et munere spectatissimus, qui propter denegatam sibi aream ad ampliorem domus, quam erexerat, subtractionem, veteres cum alio valde inferiore gerebat inimicitias. Sed postquam Petrum de venia inimicis danda disserentem audivit, omnem deponere simultatem firmissime constituit. Itaque postridie templum ingressus, in quod sciebat adiisse adversarium, gladio cum baculo et galero seorsum positus, per templi medium decussatis brachiis incedit, atque hominem conspicatus, ad illius pedes deprecabundus procubuit. Generosum hoc facinus nobilissimi, et egregii militis (tertium ab imperatore gradum tenebat in exercitu) ut omnibus gratissimam attulit admirationem, sic etiam incitamento fuit maximo ad injurias remittendas.

Sed

Sed civium animos multo permovit vehementius insigne aliud humilitatis exemplum, quod postmodum in Antistite suspexerunt. Solitus erat Petrus populum in discessu suo vehementer hortari, ut in tradita sibi doctrina fideliter permaneret. Atque inter alia, quæ opportune in argumentum illud afferebat, illum pertractabat locum Apostoli: *Ego scio, quoniam intrabunt post discessionem meam lupi rapaces in vos: Dæmones scilicet, et infidos innuens amicos, qui suggestionibus, pravisque consiliis nihil non essent tentaturi, ut eos a sanctioris vitæ proposito dimoverent.* Hæc igitur cum dixisset, ad deosculandos Sacerdotum pedes descendit. Et cum omnia gemitibus, et fletibus personabant, Episcopus in suggestum repente conscendens, veniam ab universo populo demississime postulavit, quod ipse, qui Pastoris gerebat nomen, hactenus præpostera vitæ suæ ratione rapacem egisset lupum. Vix potuit linguam in alia verba solvere præ lacrymis, et singultibus: frustra que dixisset plura, cum incredibilem in omnibus commotionem, et effusissimos planctus excitasset. Denique Pompelone, ad cujus aditum Petrus nonnullam habuerat oppositionem, Deus illum singulari quodam dono illustravit, quod Apostolicis viris interdum concessisse compertum est. Ad audiendum eum multi advenerunt Vascones, qui vulgarem Castellæ linguam penitus ignorabant. Hi tamen in aperiendis Sacerdoti peccatis suis eundem tenuerunt ordinem, easdemque regulas observarunt, quas Petrus pro facienda generali confessione tradiderat. Id Parochus de multis suæ curæ commissis, id Doctor Theologus Carmelitanus de aliis cum stupore affirmarunt. Sed Petrus, nequid suæ detraheret humilitati, hoc, ut alia bene multa, custodibus tribuebat Angelis, qui rusticos illos, ne redirent vacui, docebant interius, quod ex ignoto Concionatoris sermone non caperent.

Alias etiam Navarrae urbes cum ingenti civium fructu percurrit, ut Sangossam, Pontem Reginae, Tudelam, et Tafallam. Hæc Ninivem referebat, cum plurimi noctu pro templorum foribus graves a se ipsi repetebant poenas, Deique misericordiam implorabant. Interdiu vero cœlestis Hierosolymæ exhibebat speciem, cum in eam ex quinquaginta tribus oppidis ingrediebantur agmina virorum, ac mulierum, quæ Dei, ejus-

que

que Matris laudes gratissimo concentu celebrabant. Ad eaque poenitentiae, ac pietatis iterata exercitia multa subsecutae sunt morum commutationes, quarum una singularis fuit inter ceteras. Aderat quidam in concione, in qua de ignoscendis inimicis agebat Petrus: et quamvis opportuno sederet in loco, nullam tamen dicentis audiebat vocem. Aliam ex alia mutavit sedem, nusquamque percipiebat Oratorem, donec in eum locum venit, ubi sedebat alius, quem ipse jam pridem ob acceptas ab eo injurias implacabili odio prosequabatur. Hic Petri verba omnia cum distincte jam caperet, non potuit ea novitate plurimum non permoveri: Deique agnoscens digitum, qui sibi aures et alibi clauserat, et hic aperuerat, ubi aderat inimicus, noluit ipse interiorum animi auditum diutius occludere; sed ibidem, cum primum opportunitas affuit, stricte complexus est hominem, et acceptas ab eo injurias ex animo remisit.

Cum Petri nomen, et praedicationis ejus fructum latius in dies fama celebraret, multis jam in locis expetebatur, ut in eis quoque suam exerceret industriam. Episcopus Calaguritanus valde ab illo contendit, ut quam agri portionem Dominus sibi demandaverat, suis vellet sudoribus irrigare. Accurrit statim Petrus, magnamque illius dioecesis partem, quae Rivogiam, Alavam, et Cantabriam comprehendit, sollicito studio, nec felici minus successu peragravit. Vianam primum intruxit, in eaque, ut animos ad excipiendam culturam optime paratos invenit, sic etiam ingentem messem collegit. Deinde Lucronium petiit, ubi tum aderat Episcopus, qui Petri orationes omnes excepit, quas habuit ille in platea, quae ante Rotundam, ut vocant, aedem protenditur. Vir quidam nobilis, cum audisset, Petrum ad continendos pueros, et ad concionem, vel supplicationem ordinandam, primores urbis solitum esse adhibere; firmissime asseveraverat, nullis se precibus ad id muneris fore inducendum. Hunc primo die rogavit Petrus, ut vesperi cum arundine in certum quendam locum adesset, et qui ad concionem ab ea parte advenirent, opportuniore modo disponderet. Ad haec ille sine ulla tergiversatione respondit: Quidquid jusseris, efficiam. Inde digrediens, et suam ipse responsionem admiratus, ad amicos properat, quos in eandem sententiam traxerat, ut ipsi quoque Petro suam ope-

operam denegarent. Et: vobis auctor sum, inquit, ne velitis cum hocce viro contendere, cujus per os Deus ipse loquitur: certissime enim victi discedetis, ut mihi contigit, qui ad eum, resistendi certus, cum essem ingressus, non potui simplicissima illius prece non exorari. Omnes igitur incunctanter Petri jussa fecerunt, multumque illorum sollicitudo juvit et exemplum, ut cuncta feliciorum haberent exitum.

Initio nonnulli de populo aures accommodare Petro repugnabant. Is enim sermones suos in ipsis Paschalibus festis inchoaverat. Unde ajebant aliqui, post longam Quadragesimæ inediam, in qua non paucos audierant Oratores sacros, parum opportunum esse aliorum adventum, qui per illos festivissimos dies novos sibi fletus indicerent. Sed ad compescendas horum querelas vim habuit maximam cum prudentissimorum civium exemplum, tum frequentissimus vicinorum accursus, tum etiam singularis casus, qui per eos dies evenit. Percurrebat de more vias urbis Joannes Carbajosa, ut quamplurimos ad concionem adduceret, et inter alios feminam invitavit, quæ indignabunda his ei verbis respondit: Satius mehercule faceres, si mihi numos ad panem emendum erogares. Cave, inquit Joannes, ne responsum istud graviter luas. Eadem nocte feminam paralysis invasit, quæ linguam ejus occupavit, et mortua est. Eo funesto casu, et multorum ex vicinia confluentium exemplis tantus accessit ardor omnibus ad audiendos Dei Ministros, ut Petrus suam illam ad Lucro-nienses expeditionem inter celebriores, et maxime fructuosas annumeraverit. Sub concionum finem auditorum numerus erat quadraginta millium, e quibus in ultima die triginta tria milia sanctissimam Eucharistiam perceperunt. Multa male parta suis restituta sunt dominis: multorum sublata discordia: et inter alias ad fovendam pietatem exercitationes erecta ibi fuit Schola Mariana, cujus alumni Petrus prudentissimas imposuit leges ad vitam christiane instituendam.

Inde Victoriam profectus est, et in ipso urbis aditu ex abrupto in hæc verba prorupit: Hic adest homo, qui septemdecim abhinc annis horrendum cum bestia crimen admisit, neque adhuc recte fassus est illud. Plerique id temere dictum existimarunt: secus vero rusticus quidam, qui proxima in ta-
ber-

berna vinaria sedebat ad bibendum. Is enim abominandi sceleris reus, ad Petri vocem extimuit, et sese inde proripiens, fugam in patriam suam arripuit. Sed cum infixum animo spiculum ferre non posset, in illa ipsa nocte ad Curionem suum venit, eique rite peccatum illud, quod Petrus in ejus conscientia legerat, cum cæteris aperuit. Intra urbem tantum ulciscendi peccata viguit studium, ut ciliciorum artifex vigintiquinque libras ærei fili per eos dies distraxerit. Pari deinde successu laboravit Petrus apud Bilbaenses, qui ut aliquam grati animi ederent significationem, in arenariis, ubi habitæ sunt conciones, crucem ferream super arborem erexerunt cum incisa inscriptione, quæ Petri meritum posteros edoceret.

Hactenus intra Castellanae Provinciæ fines suam Petrus industriam continuerat. Deinceps multorum Antistitum precibus exoratus, fere omnes Hispaniæ regiones peragravit, in quibus ut ipse Dei causam sollicite promovit, sic eum vicissim Deus et copioso laborum proventu, et prodigiis illustravit non paucis. Primum ad Bastitanos perrexit, ubi Murciam, Carthaginem, Lorcam, Tijolam, et Caravacam solitis ministerii sui exercitiis ad observantiolem divinarum legum custodiam induxit. Murciæ Episcopus, ut paganis pauperibus faciliorem in urbem accessum redderet, sua aperuit horrea: et Sacerdos, qui præerat eleemosynis, testatus est, panes quodam die divinitus fuisse multiplicatos. Sic Deus gratam habere significavit et Episcopi misericordiam (is erat Ill. D. Thomas Josephus de Montibus) et eorum sollicitudinem, qui ad excipiendam Petri doctrinam accurrebant. Tantaque fuit inibi et pauperum, et divitum frequentia, ut Episcopus pro Indulgentiis obtinendis, quæ a Summis Pontificibus concessæ fuerant, multis exterorum permiserit, ut sacra communione suis in oppidis reficerentur: et tamen in urbe quadraginta circiter millia ad altaris mensam accesserunt. Hic Petrus lumen illud ostendit, quod sibi Deus ad discernendos spiritus concesserat. Nam feminam, quæ magnam ibi sanctitatis opinionem collegerat, et simulandi artem callebat apprime, ipse pestiferis Michaelis Molinosii erroribus infectam esse, in primo statim alloquio cognovit. Opus itaque fuit Confessarium ejus aperte monere, anboque tunc et Petri consiliis, et Episcopi admonitionibus resipuerunt.

Sed

Sed cum denuo ad veterem stultitiam revertissent, in eos, tanquam Molinosii sectatores, sacri fidei Judices animadverterunt.

Illud vero longe mirabilius, quod nos ab iis novimus, qui Murciæ, dum res contigit, morabantur. Petrus nocte quadam vehementissimum sensit impulsus, ut relicto in quo jam quiescebat lecto, extra domum prodiret. Hanc ille mentem, velut prorsus ineptam et importunam, non semel rejecit. Sed recurrente illa vividius, ut sibi ab strato suo violentè expelli videretur, surrexit tandem: obtentaque Superioris venia, per urbem incedens, variis in locis sententias aliquot intenta voce protulit, quæ peccatoribus ad pœnitentiam adducendis natæ erant. His divino instinctui satis jam fecisse ratus, regressus est domum. Postera die mulier ad eum venit, quæ nocte illa vigili ad fenestram adstabat oculo, ut amasium ad se venientem exciperet. Sed Petrum eadem hora exadversum clamantem audivit, et ab illius ore tam opportuna verba, ad meditatum detestandum scelus, prodiisse affirmabat, ut ipsa confecta lacrymis sese intro receperit, et amasium rejicere constituerit. Venit is postmodum, et mulieri suis reluctanti precibus, necem stricto pugione comminatur. Tum illa, brevem ad deliberandum precata moram, hominem in cubile jussit discedere. Ipsaque interim ferventissimis Deum oravit precibus, ut in tanto discrimine præsentem sibi opem afferret. Et cum nullatenus a lenone urgeretur, facile credit, alto illum, atque a Deo immisso sopore fuisse submersum. Illucescente jam die, vocat eum, ut in domum abeat: sed nullam reddentem vocem, manu contingit, et quam attigit partem, inter ejus digitos resoluta est in cinerem. Hic summo horrore correpta, foras erumpit, clamat, vociferatur: accurrunt multi, et inter eos Parochus, qui cadaver illud, vel potius acervum cinerum, involutum sindone ventis tradidit dispergendum. Funestissima hujus mors hominis multis initium fuit vitæ melioris, et præsertim feminæ, quam ipse deperibat: quæ deinceps vitam egit tum aliarum virtutum, tum maxime pœnitentiæ exemplis valde commendabilem. Atque utinam tragœdia ista Murciæ tantum fuisset exhibita! Scio equidem, Valentix rem huic adeo similem contigisse, ut

" "

mul-

multis videri possit ipsissima. Sed quæ Murciæ acta hic ego retuli, ex illius narratione didici, qui cinefactum infelicis viri cadaver suis ipse oculis vidit.

Alia etiam alibi, prædicante Petro, acciderunt, quibus et sanctitatis ejus fama, et laboris sui fructus crescebat in dies. Dum Lorcam ingrediebatur, ante domum cujusdam civis ea obiter dixit, quibus seriem illius vitæ, et quos egerat in pellicatu annos, distincte definivit. Et id genus alia tam sæpe auditus est enuntiare, ut apud multos opinio invaluerit, Petrum arcana cordium inspicere. In eadem urbe vir quidam opibus, et religione conspicuus Præfecto pastorum jussit gregum suorum curam ita moderari, ut pastores ad conciones adessent alternis. Reposuit ille, id fieri omnino non posse, quoniam per eos dies foeturae tempus inceperat. Sed cum oves foetus omnes ederent mortuos, conscientia facti perterritus, modum tandem invenit jussa exequendi: et exinde vivos agnos enixæ sunt pecudes. Tantum est in pietate vel ad temporalia promovenda lucra subsidium!

Carthagine multæ feminae in plateam, in qua Petrus concionabatur, propterea venire non audebant, quod vélamina serica non haberent, quibus possent in frequentissimo illo consessu decenter apparere. Id cum rescisset Petrus, nobiliores feminas, ipsamque adeo Prætoris conjugem contra spem omnium induxit, ut vulgaribus induta amiculis in concionem prodirent: quo sane laudabili matronarum exemplo cæteris ereptus est rubor, et auditorum numerus crevit insigniter. Postquam cives ad christianæ vitæ leges informaverat, egregium aliud aggressus est opus, quod Apostolicum ejus zelum maxime commendavit. In regiis triremibus multi erant scelerati homines, qui remis addicti, suorum dabant poenas scelerum. Hos ille miseratus, omni ope adjuvandos suscepit: eosque bene instructos, et ad poenitentiam admissorum, laborumque patientiam excitatos, postremo ad confessionem, et communionem sacram admisit. Mauros etiam, et Turcas, qui bello capti, in eodem portu detinebantur, singulari complexus est caritate. Nihilque prætermisit, ut eis suæ sectæ principia quam sint stolidæ, convenientissimis ipsorum captui rationibus demonstraret. Neque nullus operæ suæ constitit fructus;

tus: nam ex illorum numero quatuordecim ad Christi caulam per Baptismum adduxit.

Quoniam ad nobilium, maximeque Sacerdotum exempla totius populi mores componumur, multam dabat operam, ut utrumque illum cœtum singulari studio perficeret tum privatis adhortationibus, tum propositis per dies octo, vel decem supernarum rerum meditationibus, tum etiam Sodalitiis erectis, quibus nobiliores cives in primis adscriberentur. Inter alias id genus institutiones, quas ad confirmandos in studio pietatis animos erigendas curavit, multas Sanctissimi Cordis Jesu Congregationes instituit. Ut pium hoc opus urgeret, stimulos ei addidit Bernardus Hoyus, integerrimæ vitæ juvenis, qui decennii spatio, quod in Societate vixit, longioris ævi merita cumulavit: multisque donis cœlestibus insignitus, ad propagandum in Hispania cultum divini Cordis, singulariter a Deo fuit electus. (Quod hic, et alibi in hoc opere toto dicitur de cultu SS. Cordis Jesu, intelligitur juxta decreta Pontificia, et S. Congregationis Rituum.) Illustris Lorcitana civitas prima fuit, quæ Petri votum in hac stabilienda Congregatione cum ipsius ingenti gaudio secundavit. Eam propterea in scriptis suis collaudat, ut etiam propter perseverantem pœnitentiæ spiritum, quem frequenti asperitatum usu post suum etiam discessum demonstravit. Et quoniam aliqui eas corporis macerationes, ad quas Petrus, multorum imitatus Sanctorum exempla, populos hortabatur, obliquis aspiciebant oculis, Deus portento quodam illud mortificandæ carnis studium comprobavit. Cereorum vis magna, qui diu arserant in supplicatione illa pœnali, quam Petrus post generalem communionem celebrabat, cum ad trutinam pro solvendo decremento revocaretur, ingenti omnium admiratione inventa est, ne unciam quidem decrevisse.

Verum hæc, aliæque significationes supernæ, quibus Deus servi sui labores acceptos sibi esse ostendebat, satis non fuerunt, ut ei parcerent obrectatorum linguæ. Hoc enim divinæ solemne est providentiæ, ut laudabilia justorum opera adversis probari velit, ac repurgari, quo magis elucescant. Id Petrus et alibi sæpe, et in Murciæ regno expertus est frequentissime. Quocunque pedem ferret, novæ superandæ erant dif-

difficultates, ut ministerii sui functionibus aditum aperiret. Etenim malitiosi quidam homines et quæ agebat, alienis coloribus deformabant, et quæ nunquam egerat, eidem ad creandam invidiam affingebant. Multique rumoribus hisce conterriti; cum inter alia divulgatum esset, Petrum cadavera effodere; renuebant illum intra moenia sua recipere. In ipsa urbe Murcia vir quidam religiosus, cui Petrus aditum in domum quandam fecerat intercludi, multa procaciter effutivit, ut eum, ejusque ministerium infamaret. Sed is tandem, ut infra dicam, resipuit. Petrus autem in his, aliisque oblocutionibus perfrendis firmissimum pectus exhibuit: fretusque Deo, cui suam quotidie vitam, honoremque devovebat, nullum reprehendendi vitii finem fecit, et veritatis, quantumvis odium sibi pareret, inculcandæ. Nec vacua fructu fuit ejus fiducia: nam Superiores, cum in ea diligenter inquirerent, quæ temere jactabantur, tandem illius zelum et laudibus commendarunt, et patrocínio sustinuerunt. Aliundeque rumores illi sparsi, qui Petri præcesserant adventum, ad virtutis, ac doctrinæ suæ radios ita disjiciebantur, ut qui fidem eis adjunxerat, intine doleret postmodum, quod fraudes Diaboli, cui hæc tribuenda erant, tam pronis auribus excepisset.

Multum etiam ad Petri commendationem efficiebant Antistitum iteratæ preces, quibus cogeatur ab una in alteram provinciam commigrare. Itaque postquam Murcia regnum percurrerat, ad Granatense pertransiit, et in Portu magno, quem Almeriam hodie vocant, honorifice fuit exceptus anno 1734. In hac urbe, ad quam jam fama notus, et expectatus advenit, civium animos verbis suis, et moribus ita sibi conciliavit, ut qui lites moverant, diuturnasque fovebant dissensiones, ad illius arbitrium reliquerint dirimendas: sicque multis pax redita familiis, quæ inveteratis contenderant altercationibus. Perversam imprecandi consuetudinem per diœcesim illam, quam Episcopi rogatu lustravit, acerrimis compescuit declamationibus, et puerorum adhibito auxilio, qui Dei laudes coram maledicis ingeminabant, ut eos ad pudorem, et poenitentiam adducerent. Ad confirmandos vero populos in Dei cultu, et morum sanctitate, utilissima excogitavit adjumenta, quorum fructus in annos plurimos permaneret. Almeriæ Sodalitatem

illam crexit, quam appellant Scholam Christi, quæ magno religionis exemplo primævum institutionis suæ fervorem post annos amplius vicanos retinebat. Sed illud multo præstantius, quod in commune reipublicæ commodum stabiliendum obtinuit, ut Bælici Sacerdotes duo e Societate Jesu quotannis per diocesim excurrerent, sacrisque ministeriis populos ad christianæ vitæ præcepta reformarent. Huic operi perficiendo egregiam opem contulit D. Xaramillus, inter Canonicos Almerienses Decanus, annuis redditibus designatis, qui necessarios sumptus suppeditarent.

Sed hujusmodi expeditiones (ut ea, quæ inter se affinia sunt, licet longo disjuncta tempore, narratione jungam) quas Socii Bælici cum ingenti diocesis illius fructu multis annis susceperant, deinde interruptæ sunt aliquandiu, frustra enitentibus Sociis, ne ab eo explendo munere prohiberentur. Ferebat id ægerrime Josepha Almansa, insigni virtute femina, et Almeriensis Decani neptis, quæ Petri consiliis, a quo per literas dirigebatur, ad perfectioris vitæ culmen sedulo condebat: atque ut ipsa multum in Dei dilectione processerant, sic etiam dolebat maxime, quæ in ejus gloriam cederent, fuisse impedita. Dolorem inde conceptum cum Petro procul degenti significasset, is mense Augusto anni 1755, hoc illi responsum dedit: *Deum miro quodam, et insolito modo effecturum, ut Almeriensis missio, quod tantopere optabat, ante anni spatium instauraretur.* Nec secus quidem evenit. Nam occasione terræmotus magni, qui anno illo Kalendis Novembribus Hispaniam, et alia regna horribili fragore concussit, Patribus Societatis liber aditus patuit ad diocesim illam, ut antea fecerant, Evangelicis excursionibus obeundam. Itaque incunte no. 1756, Almeriam missi sunt Franciscus Ferrusius, et Ludovicus Valdivia, qui mense Januario in ea urbe missionis suæ munera peregerunt.

Hinc vero novus Josephæ Almansæ timor, novaque Petri prædictio, ut illi timorem omnem eriperet. Inter cæteros, qui Patrum illorum opera corruptos vitæ mores emendarunt, femina fuit, quam vir quidam eximie notæ cum gravi civium offensione perditæ amabat. Is ea de causa insano furore percitus, qui feminam ab infami consuetudine revocaverat, violati

lati sigilli reum appellavit. Inde subvereri cœpit Josepha Almansa, ne Satanæ dolis eo res tandem erumperet, ut optima missionis annuæ institutio funditus everteretur. Sed Petrus, quem certiore omnium fecerat, in hunc modum illi rescripsit: *Bono esset animo. Causam illorum Patrum Deum in se suscepturum, neque propterea institutam a Patruo suo missionem fore abolendam. Virum, qui turbas excitaverat, inflicta salutari pœna, in se reversurum. Ipsam denique, ut persuasum sibi erat, id solatii habituram, ut iterum cum eodem Missionario de rebus animi sui ageret Almeria.* Hæc omnia prorsus ut prædixerat, acciderunt. Vir enim ille, ob aliud nescio quod facinus, acriter ab aula regia fuit objurgatus: quod illum ad sanio rem mentem, et honestiorem vitam traduxit. Et Missionarius Almeriam denuo rediit, rogante Senatu Ecclesiastico, qui eundem ab imputato sibi crimine sententia sua, dum vacua erat Sedes, declaraverat immunem.

Per eos etiam dies Almeriam venit Religiosus ille, quem diximus, in Petrum multis debacchatum esse Murciæ. Hic ab uno scelere ad majora prolapsus, tandem effractis claustris, fugam arripuit, ac Londinum trajicere meditabatur. Sed Almeriam ingressus, subito nervorum torpore correptus (quod insigni Dei misericordiæ tribuendum, quis dubitet?) gradum sistere coactus est ante januam Josephæ Almansæ, quæ pro sua erga omnes caritate, hominem ignotum sibi, sed opis indigentem, intra domum recipi, atque opportunis jussit remediis sublevari. Recuperatis jam viribus, fortuito in librum incidit, cui titulus: *Catechismus practicus* a P. Petro de Calatayud; cui adjunctum erat aliud ejusdem opusculum inscriptum: *Examen pro generali confessione*. Fallendi causa temporis hos libros cœpit evolvere: brevi tamen ex eorum lectione ita commotus est animo, ut suos ipse mores, et arreptum fugæ consilium vehementer detestaretur. Cum audisset, duos ibi esse Societatis Patres, auxilium ab eis petiit, iisdemque sequestribus, intra paucos dies ad castra, quæ deseruerat, libens, et facti pœnitens rediit. Tanta vero defectionis suæ pœnitudo tenebatur, ut asseveranter iteraret: si opus esset, vel in principe urbis templo palam se delicta sua e suggestu divulgaturum. Eamque animi commutationem acceptam ferebat meritis, et orationibus Patris Calatayudii, quem olim ipse nimis inverecunde proscidisset.

Jam, ut eo, unde digressi sumus, iterum revertamur, dum Petrus Almeriæ manebat, perditum hominem ad meliorem frugem admirabili modo perduxit. Quo die pœnitentium agmina per urbem more suo ducebat, quendam in aditu viæ conspicatus, qui pallio obvolutus, et operto capite omnia curiose observabat, prope illum accessit, ac leviter sua canna percussit, his allocutus est verbis: *Ingrederere tu quoque in hoc agmen, et sequere Christum, ejusque Matrem Sanctissimam; quoniam tot jam abierunt anni* (certumque annorum numerum designavit) *in quibus annua communionis præceptum non observasti.* His verbis tanquam tonitru de cœlo tactus homo ille, non modo cæteris adjunctus fuit subito, sed quorundam adstantium murmura elata voce compescuit, palamque professus est, verissima esse, quæ Petrus, divino utique afflatus spiritu, sibi objiciebat. Proinde ad eum accedere statuit, ut peccatorum pondus, quod statim ab illa objurgatione gravissimum sensit, ad illius pedes deponeret. Dum hæc volvit animo, Petrus, absoluta supplicatione, illum ad se vocat, et ad pœnitentiæ tribunal adducit. Hic a prima ætate usque ad illum diem, sic in ejus vitam inquit, quasi eam ante oculos descriptam haberet: et felix ille pœnitens, postquam virus evomuit, quod tandiu sub pectore celaverat, lætissimus in domum suam discessit. Post aliquot dies ad Petrum rediens, subortum sibi timorem indicavit, ne in postrema vitæ hora multis irretiretur dubiis circa peccata commissa, neque legitime per confessionem expiata. Cui Petrus his conceptis verbis respondit: *Eam in Domino spem defixam habeas, opus tibi non fore, cum ad extrema deveneris, lutulenta superioris vitæ acta revolvere. Veniet tunc in hanc urbem Sacerdos ordinis mei, qui tibi morienti aderit, solutisque dubiis, animum sedabit tuum.* Hac lætus denuntiatione, vitam instituit ad christianæ professionis leges exactam. Atque ut extaret aliqua suæ conversionis memoria, tabulam pictam, in qua SS. Jesu, et Mariæ Corda fecerat exhiberi, eo loco suspendit, ubi Petrus illum ad sequenda Christi, ac Matris ejus vestigia, tanquam errantem ovem, virga sua et voce compulerat. Post annos fere viginti duos ad eum graviter ægrotantem vocatus fuit Ludovicus Valdivia, qui per id tempus Apostolicis ministeriis in ea urbe incumbe-

bat.

bat. Hunc ad se ingredientem coram multis, qui aderant, his verbis excepit ægrotus: *Tu es profecto ille, quem P. Petrus Calatayudius, ante annos amplius viginti, morituro mihi adfuturum esse, prædixit.* Deinde, remotis arbitris, narravit illi omnia, quæ jam exposuimus. Eidem animi æstum aperuit, qui facile Valdiviæ dictis resedit. Factaque confessione, atque omnibus sacrorum præsidiiis roboratus, inter ferventes virtutum actus vitam in Valdiviæ manibus placide clausit.

Postquam Petrus in Granatensi regno Virgos, Alboxios, Velez-Rubios, aliosque populos ad emendationem morum, et pietatis cultum omni studio incitaverat, iter ad Valentinos instituit. Et quanquam multa, quæ apud illos gessit, injuria temporum ignoramus; illud certe constat, laboris sui fructum collegisse ibi maximum, et præclaram sanctitatis opinionem inter gravissimos etiam viros obtinuisse. Admodum RR. PP. Dominicani, qui Academiam Orצלensem summa cum prudentiæ, ac sapientiæ laude tenent, illum *dignum S. Ignatii filium, atque alterum Xaverium redivivum* appellarunt. Valentini, et Almansæ, et Alonæ, aliisque in locis admirabiles animorum mutationes divini verbi virtus effecit. Quantum vero Cœlitibus placerent, qui ad audiendum illud properabant, ex eo patuit, quod per id tempus cuidam divinitus ostensi sunt Angeli, qui vias solícite expediebant, per quas varii supplicantium ordines in urbem ex propinquis oppidis ingrediebantur. Ad honorandam Deiparam, cujus cultum Petrus ubique promovere studebat, suos hortabatur auditores, ut quoties horologii sonitum audirent, alii contenta voce dicerent *Ave Maria*, alique responderent *sine labe concepta*. Hanc acceptissimam divinæ Matri salutationem Valentini populi sic arripuerunt, ut ea non solum ipsorum domus et urbes, sed campi etiam et saltus frequentissime personarent: fiebatque aliquando, ut Virgineum hoc elogium ab uno in alterum prædium per ora rucolarum ad duas continenter leucas propagaretur.

Apud Alonenses, qui eum avidissimis animis et auribus exceperunt, multos commoratus fuit dies: in eisque indefesse adlaboravit tum civibus universim instruendis, tum Clero, et Religiosis viris ac feminis privatis adhortationibus ad perfectionem excitandis, tum variis constituendis rebus, quibus con-

ce-

ceptus ad pietatem ardor in posterum aleretur. Ecclesiasticus Senatus, et urbanus, quorum illi Præsul, huic Prætor quotidie præcedebant, perseveranter ad conciones accessit. Eorumque exemplum ita reliqui secuti sunt cives, ut in urbe illa plena negotiis non modo privata domus, sed mercatorum etiam, aliorumque opificum officinæ vespertinis horis occluderentur, ut omnes dicentem Petrum audirent. Dicebat autem e pergula, unde prospectus erat in plateam spatiosissimam, in quam plerumque decem, nonnunquam duodecim mille auditores conveniebant. In his ab iterata supernarum veritatum auscultatione magnus animi fervor exarsit, qui protinus in saluberrimos pœnitentiæ fructus erupit. Multi enim per eos dies in prædicta platea sub crepusculum noctis congregabantur, indeque composito agmine duorum, aut trium millium, ad vias urbis progressi, vario tormentorum genere se ipsi affligebant: quorum exemplis incitati alii cives, intra sua tecta gemere, et plangere, atque etiam acerbis se verberibus cædere, a prætereuntibus audiebantur. Ipsi adeo sacri, civilesque Magistratus aliquando pœnitentium ordines visi sunt claudere, spinis præcincti capita, et funibus e collo demissis. Lugubre hoc spectaculum latissimum aliud exceptit. Nam quo die sacrosanctæ dispersitæ sunt epulæ quatuordecim millia tum e civibus, tum etiam ex accolis, qui conciones frequentaverant, ad altaris mensam magna cum religione accesserunt. Tota denique civitas faciem mutasse lætabatur: et ut beneficii memor esset accepti, prope eum locum, unde Patres ad populum verba fecerant, pulcherrimam B. Virginis imaginem collocavit: cujus ad latera effigiem hinc Petri Calatayudii, inde Joannis Carbajosæ constituit, ut quorum monitis melior effecta fuerat, eorumdem aspectu ad perseverantiam excitaretur.

Triennium in percurrendis Murciæ, Granatæ, ac Valentiniæ regnis impenderat, cum inde ad provinciam suam regressus, in ea exceptus fuit tanquam fidelis Dei servus, ad promovendam ejus gloriam singulariter designatus. Hic tamen cessare diu sibi non licuit. Post dies non ita multos ad Astures profectus est, ad quos ut mitteretur, multa prece obtinuerat Episcopus Ovetensis Illustrissimus D. Joannes Avellus. Et quam eo valde expectatus advenit, omnium tamen vicit expecta-

tationem, ut ait Cl. Feijous in epistola familiari, in qua fructus illius expeditionis, ut testis oculatus commemorans, hæc inter alia subjungit: „Quam diu Oveti vias pœnitentium lacrymis, et sanguine respersas vidimus! sanguine, inquam, unius sexus, et lacrymis utriusque! Non pauci erant mentes, cum Oveto Petrus abierat, et adhuc Oveti prædicabat; quoniam permanebat in auditorum cordibus imago vocum illius. . . . Idemque observare licuit in cæteris per hunc Principatum populis, ad quos ille profectus est. „Ex iis Gegionem, Graum, Tinæum, Praviā, et Potes adiisse constat cum ingenti sui corporis defatigatione inter asperos illorum montium anfractus. Sed eodem tempore mirabiliter ipsius animum recreabat pietas earum gentium, quæ per iniqua, cœnosaque itinera in locum, ubi sedem ipse fixerat, supplicantium ritu, laudesque Mariæ Virgini per fastigia montium, et vallium concava concinentes, magno conveniebant numero, magnosque fructus ab auditis ejus sermonibus referebant. Præterea Clerum, in certa quædam oppida, jubente Præsule, convocatum, ad sanctitatem status sui propriam sacris meditationibus ex disciplina S. Ignatii promovendum curavit: quod eo successu perfecit, ut plerique sanctionis vitæ normam, quam Petrus in adhortationibus proponebat, transcribendam sibi peterent, ne ab ea quidquam deinceps discordarent. Denique intra spatium quatuordecim mensium, quibus versatus est inter Astures, Congregationes Sanctissimi Cordis Jesu duas supra centum instituit, ut virtutum semina, quæ in eorum sparserat animis, ab illo totius sanctitatis fonte irrigata, in fructus quotidie surgerent uberiores.

Pari zelo, et labore circūvit deinde Burgensem Archidioccesim, quæ montanos Sanctanderi tractus eo tempore complectebatur. Hic etiam, postquam populum in doctrina Christi erudierat, Curiones populi, cæterosque militiæ Clericali adscriptos in studio perfectionis erudiendos suscepit. Voluit enim Archiepiscopus D. Emmanuel Samaniegus, missisque per dioccesim literis jussit, quotquot erant ex ordine Sacerdotali, paucis exceptis, qui binas, vel ternas interim Curias administrarent, partim Burgos, partim Beloradum, et alio convenire, ut spiritualibus sub Petri magisterio vacarent exercitiis. In me-

tro-

tropoli eorum numerus, qui ad exercitationes illas adfuerunt, quadringentos excessit et quinquaginta. Præibatque omnibus Præsul tanta assiduitate, ut nullo unquam die ne per quadrantem quidem horæ adesse prætermiserit. Et quanquam aliqui reluctantes venerant ob sparsas, adnitente Diabolo, contra exercitia illa calumnias; cognito deinde et istorum fructu, et Petri spiritu, cum ab omni avaritiæ labe, quam ei quidam asperserant, alienissimo, tum in explendis illius muneris partibus sine auditorum molestia diligentissimo; mutatam ipsorum mentem his verbis, cum a Petro discederent, significabant: *Parum libenti animo in secessum istum concessimus; sed modo in ades nostras, quod brevior quam pro votis fuerit, multo agrius recedimus.*

Sex circiter annos intra Castellaniæ Provinciæ fines Petrus per id tempus sese continuit, in quibus alias cum incredibili fructu fecit expeditiones, ut constat ex annuis illius Provinciæ literis, quæ tamen locorum nomina, ad quæ profectus est, reticent. Sed aliunde compertum est, eo tempore adiisse Zamoram, Sepulvedam, et Salmanticam, rursusque in Gallæciam usque ad Lusitaniam fines penetrasse. Hac autem occasione novum illi campum Deus aperuit, in quo posset omnes industriæ suæ vires exerere. Accurrebant ad Gallæciæ oppida, quæ Petrus adierat, e Lusitaniam regno non pauci, in quibus erant viri aliquot nobiles, qui vim verborum ejus experti, rogarunt eum impense, ut in proximam Bracharæ diocesim ingressus, popularibus suis opem aliquam ferret, cujus maxime indigentes esse affirmabant. Cum enim Sedes illa per duodenos vacasset annos, magnam inde ajebant irrepsisse in plebem morum licentiam, rerumque divinarum ignorationem: Cleri quoque splendorem fuisse obscuratum, et in claustris sacrarum Virginum collapsam esse disciplinam.

Cum audisset hæc Petrus, qui semper ad egentiorum auxilium promptiore animo ferebatur, de ratione Bracharensibus subveniendi cœpit statim recogitare. Commodum ad regendam illam Ecclesiam venerat Serenissimus Josephus Portugalliæ Princeps, Fidelissimi Regis Joannis V: frater, cui Petrus suum per diocesim illam prædicandi desiderium, datis ad eum literis, humiliter exposuit. Has literas religiosissimus Princeps tanquam

e cœ-

ē cœlo missas accepit, Deoque maximas egit gratias, quod ad se virum illum dirigeret, cujus Apostolicum zelum jam tum audierat celebrari, cum is Baticam percurreret superiorem: ejusque proinde opera fore sperabat, ut vinea suæ curæ commissa in veterem splendorem, et ubertatem, revulsis vepribus, revocaretur. Deinde cum aliis de accepto nuntio colloquens, præclare secum agi affirmavit, cui Deus auspicatissimum Pastoralis officii dabat initium, missis ad se tam strenuis operariis. Veniant igitur, dixit, ac necubi gravate excipiantur, sed ubique liberum ad instruendos populos habeant accessum, meis ego sumptibus illorum victui providebo. Quam quidem beneficentiam non solum Petro, ejusque socio Carbajosæ liberaliter exhibuit, sed aliis etiam, qui eis adjuncti sunt postmodum, quorum aliqui usque ad Præsulis obitum in excolenda illa diocesi perseverarunt.

Habita veniendi Bracharam potestate, Petrus eo sine mora contendit. Serenissimus Archiepiscopus magnis illum honoris, et lætitiæ significationibus excepit, et ad curandos ovium suarum morbos amplissimis instruxit facultatibus. Et Petrus in ea urbe diu commoratus, ministerii sui opus in oculis vigilantissimi Pastoris ita perfecit, ut is incessanter Deum laudaret, sæpeque lacrymas funderet jucundissimas ob perspectam universæ civitatis mutationem. Cives enim, cum brevi divinam viri eloquentiam, et ardentissimum eis benefaciendi studium agnovissent, ad illum libenter atque avide properabant: et inter audiendum, frequentes adeo gemitus, et ingentes edebant fletus, ut non semel orationem abrumpere necesse fuerit Oratori. Nec vero suspiriis tantum, et effusis lacrymis conceptus animi dolor prodebat. Multi diversi ordinis cives per noctem supplicantium more incedentes, flagellis cædebant corpora, aliisque piaculis cœlestem iram deprecabantur. In Cœnobiis quoque multæ id genus supplicationes sunt institutæ, adhibitiq; rigores, qui consuetum affligendi corporis modum excedebant. Novus ubique animi fervor, novæque apparebant rectius vivendi deliberationes. Pellices ejectæ non paucæ: compositiæ lites implicatissimæ: internecina multorum odia mutuis amicitiae significationibus extincta: quæ furto, vel fraude, vel iniquis pactionibus ablata fuerant, suis quæque dominis redita.

data. Cessarunt cædes, proditiones, et ebrietates: contumeliosa in Deum verba, imprecationes, perjuria, et obscœna carmina eliminata. Omnia demum adeo diversa erant prioribus, ut tantam morum conversionem nec Antistes commendare satis, neque ipsi cives satis admirari possent.

Fuerunt etiam singulares aliqui casus, qui Petro multam apud Bracharenses venerationem conciliarunt. Inter alios unum seligam, ex quo et immensa Dei bonitas, et vis verborum Petri possit agnosci. Civis quidam consceleratus, quem et alia deturpaverant vitia, et implacabile odium adversus propinquos suos incenderat, cum Petrum aliquoties audisset, tantum divini Numinis metum, et flagitiosæ vitæ suæ horrorem concepit, ut in concordiam et consuetudinem cum suis, in gratiam et amicitiam cum Deo, facta confessione, redierit. Magnam inde animi pacem assecutus, decrevit omnibus adesse concionibus, ut se Deo pro acceptis beneficiis gratum ostenderet, et in suscepto melioris vitæ proposito firmaretur. Quadam die, dum Petrum de infinito Dei erga homines amore disserentem audit, conversus ad eum, qui sibi assidebat, mira dulcedine delibutus, hæc ait: *Ferrens sit, oportet, quem hæc hujus viri verba non flectant.* Conticuit, his dictis: sed paulo post conceptum ex Petri verbis incendium iterum in hunc modum expressit: *Nescio quis ardor intimus viscera mea depascitur, ac me tacite absumit. Ut video, hic ego morior. Atque utinam verum fiat! Sane cor meum præ dolore offensi Numinis omnino tabescit, et spem habeo firmissimam, salvum me fore, si nunc mori mihi contingat.* Protulit hæc postrema verba voce jam fracta, nimiumque immutata facie, ut proxime acturus animam videretur. Accurrunt aliqui, et inter brachia semivivum excipiunt. Dum deportatur in domum suam, oculos aperit, eosque in imagine Mariæ Virginis, quæ in conspectu erat, attente defigit: nec plura jam locutus, tranquille in eodem loco exspiravit. Inviderunt multi felicem hujus hominis mortem, quæ copiosam laudandi Deum materiem Bracharensibus subministravit.

Ultra videnos dies posuerat Petrus in excolendis civibus universis, cum ad privatos quosdam cœtus suam curam convertit. Clerum, et Virgines Deo dicatas, multos item nobi-
les,

les, ac religiosos viros commentationibus S. Ignatii tum ipse per se, tum etiam per socios exercuit. Nulli demum pepercit operæ, ut omnes civium ordines in suis quemque officiis instrueret, ad eaque perfecte adimplenda excitaret. Quod cum videret augustus ille Pontifex, magis in dies singulos gratulabatur sibi de adventu Petri, cuius virtutem, sapientiam, et indefessum laborandi studium passim apud suos magnifice colaudabat. Nec verbis solum, sed factis etiam ostendit quanti eum faceret, abruptis gravissimis quibuscunque negotiis, ne unquam aut concioni deesset, aut spiritualibus exercitiis. Voluit insuper Petrum, ejusque socios in excipiendis confessionibus adjuvare: videruntque cives, nescio majorine admiratione, quam gaudio, Excelsum Principem audiendis, instruendisque rudibus et pauperibus multas quotidie horas in humili sella perseverantem. Sed illud multorum lacrymas movit, quod postmodum humanissimus Præsul effecit. Postquam Petrus in publica detentos custodia, diligenti præmissa instructione, cum Deo per confessionem piacularem conciliaverat, certum designabat diem, in quo divinam omnes perciperent Eucharistiam. In eum diem civium primores hortabatur, ut una vinctos illos inviserent, et largiori reficerent cibo, sicque alios ad ea caritatis opera provocarent, quæ Christus tanquam sibi præstita repensurum esse promisit. Id Bracharæ celebriori peractum est pompa. Præcedebant quingenti minimum Ecclesiastici, in quibus erant Canonici, et Curiones multi, qui ad exercitia S. Ignatii convenerant. Hos pone sequebatur Serenissimus Archiepiscopus, qui alienum a Celsitudine sua non duxit sportam refertam panibus in carcerem manu sua portare: quo nihil ad aliorum exemplum aut illustrius esse potuit, aut efficientius. Jam, qui animo ad pietatem erat adeo propenso, cum proposuisset ei Petrus erectionem Sodalitatis in honorem SS. Cordis Jesu, non modo probavit, laudavitque consilium, sed primus in eam voluit adscribi, primusque deinde fuit in his adimplendis, quæ Sodalibus ad cultum divini Cordis erant injuncta.

Quæ Bracharæ facta fuerat rerum in meliorem partem conversio, magnum Petri desiderium in aliis regni urbibus excitavit, eumque nonnulli Præsules, ut ad se veniret, sollicitarunt.

Sed

Sed Bracharensis Antistes nullis aliorum precibus exorari potuit, ut virum ab se dimitteret, quem a Deo in salutem sui gregis singulari providentia concessum sibi fuisse agnoscebat. Misit ergo illum, ut idem in diœcesi faceret, quod fecerat in metropoli, abeuntemque amplioribus, quam antea dederat, facultatibus cumulavit. Monuit etiam Vicarios, ut in locum, ubi Petrus consisteret, subjectos sibi populos convocarent: curarentque diligenter, ne uspiam Sacerdotum deesset copia, qui confessiones exciperent pœnitentium: ac denique rerum omnium, quæ in missionibus contigissent, accuratam sibi mitterent narrationem. Præcipua quadam sollicitudine Clerum hortatus est universum, ut ad eas urbes incunctanter accederent, ad quas singuli vocarentur, sacris commentationibus exercendi.

His Hierarchyæ adhortationibus cum strenua Petri sedulitas accessisset, magnus undique auditorum numerus confluebat, quem cum nullus templorum ambitus caperet, conciones habendæ plerumque fuerunt sub dio. Longum esset expeditiones sacras, earumque fructus, exercitia item spiritualia, Cœnobiorum reformationes, institutiones Congregationum, aliaque præclara opera, quæ Petrus per triennii spatium in ea diœcesi confecit, singula percensere. Hæc omnia diligenter perscripta erant in narrationibus, quas Archipresbyteri jussu Præsulis confecerunt, quarum aliquæ typis editæ passim per Lusitaniam, et alibi cum admiratione legebantur. Enimvero animarum fames, quæ Petro, ut aiebat ipse, viscera devorabat, vires debili suffecit corpori, ut vastissimum campum magnis laboribus proscinderet, sudoribus irrigaret, ac demum eradicatis zizaniorum germinibus, ad lætissimam compelleret ubertatem. Nec potuit eum ab incepto detertere aut solis ardor, aut frequentium imbrium molestia, vel difficultas itinerum, quæ sæpe nive contexta erant, ut constat ex annuis Lusitaniæ literis, in quibus multa de his Petri excursionibus cum ejusdem insigni laude referuntur. Et quanquam Archiepiscopus diligenter providendum jusserat, ne quid ei unquam deesset, in quibusdam tamen oppidis ob incolarum egestatem magna rerum omnium penuria laboravit. Verum hæc, aliaque incommoda facile toleranda, imo etiam appetenda sibi videban-

bantur, cum et labori fructus optime responderet, et majora suis incommodis animarum essent emolumenta. Illi enim populi quo diutius coeleste pabulum esurierant, eo nunc excipiebant avidius, promptioresque inde animos desumebant ad ingrediendas recti, et honesti vias, in quas Petrus illos immittere conabatur. Is propterea erga Lusitanam gentem mirifice fuit affectus: et postquam ab ea discesserat, cum montes illos respuerit, qui Gallæciam separant a Lusitania, in hæc verba coram amico suo prorupit: *Illa ego juga, vel sola nixus arundine, libentissime superarem, si liceret iterum ad Lusitanos reverti: vix enim credi potest, quam uberes ibi fructus divini verbi semen protulerit.*

Inter innumeros, quos ad meliorem frugem ibi reduxit, nobilem feminam ab ipsis pene inferis mirabili modo revocavit. Hæc diu vitam egerat cum innocentia, ac sanctimoniam laude non exigua: Petrusque ipse inter alios, quos ipsa de rebus animi sui consuluit, illius probaverat spiritum. Deinde vero, cum scelus nescio quod admisisset, bellum ei Diabolus adeo infestum indixit, ut in extremam devenerit desperationem, tandemque hausto veneno mortem sibi consciscere deliberaverit. Tribus inde leucis aberat tum Petrus, qui miserandum matronæ casum, et insanissimum inferendæ sibi necis consilium divinitus edoctus fuisse creditur. Cum ad aras summo mane operaretur, post elevationem Hostiæ, ita reliquum sacrificium præter morem acceleravit, ut Joannes Carbajosa gravi aliquo incommodo oppressum eum fuisse pertimuerit. Quod eo magis sibi persuasit, cum Petrum, deposito sacrificali ornatu, sine mora discedentem e templo videt. Itaque sollicite ad eum accurrens: *Satin' salvus es?* inquit. *Salvus,* ait ille. *Ut quid ergo properas, gratiis Deo non persolutis?* Quoniam aliud quippiam urget, omninoque opus est prope-rato. His dictis, festinus et absorto similis viam pedes arripit. Interea mulier illa, obstructis foribus, aconitum in penetrali miscebat domo, certa jam infelicem vitam cum infelicio-re morte commutare. Mortiferum haustura poculum, illud trepidante manu tenebat, ac secum ipsa præ naturali horrore luctabatur, cum repente Petrus ingreditur. Ad inopinatum ejus conspectum stupefacta mulier exclamat: *Ab Pater!*

buc sane aliquis ad-vexit te Angelus , ut meam ab inferni faucibus animam liberares . Subito mentem aliam induta, venenicalicem projicit, seque ad Petri pedes prosternens, conscientia suæ vulnera, quæ nimius ante pudor occuluerat, eidem palam ostendit. Et Petrus, postquam illi convenientem adhibuit medicinam, ad susceptæ missionis locum mature regreditur. Quo pacto senas illo mane leucas confecerit, cui debilior valetudo ne unam quidem pedibus facere permittebat, penitus ignoramus. Reliqua vero comperta nobis sunt ex testimonio Joannis Carbajosæ, cui deinde totius rei seriem exposuit eadem mulier, quæ cautior in posterum, et constanter in Dei servitio permansit.

Sed illud fortasse quispiam non minus admiratione dignum existimet, Petrum sub illo cœlo, quod salutis suæ adversum experiebatur, tantum laborum pondus tam longo tempore sustinuisse. Socium ejus Carbajosam, firmiore licet corpore præditum, et item alium, qui eis subsidio venerat, cum jam viribus defecti essent, Superiores ad leviora ferenda onera destinarunt. Et veriti, ne Petrus omnino succumberet, si diutius in his locis tanta contentione laboraret, illum in suam Provinciam revocarunt, obtenta prius venia Serenissimi Archiepiscopi. Ab hoc impetrari vix potuit, ut Petrum abire sineret, facta ei prius revertendi fide, cum primum, recuperatis viribus, per Moderatores licuisset. Hac habita facultate, anno 1747 secessit in Collegium Monfortiense, ubi labore tantisper intermisso, ad pristinam valetudinem, quæ tenuis semper erat, brevi restitutus est tempore.

Vix dum in Gallæciam regressus fuerat ex Lusitania, cum illum ad se vocavit Ill^lmus D. Joannes Baptista Ferrerius, ut Lucensibus, quibus ipse præerat, doctrinae suæ pabulum impertiret. Adfuit statim Petrus, qui præclaros in ea urbe fructus, et in vicinis eidem pagis collegit. Idem deinde fecit ad Aquas calidas (Auriam alii vocant) unde Lucum reversus est, ut adesset Episcopo Ferrerio, qui gravi oppressus infirmitate, illum apud se habere voluit, donec animam Deo reddidit. In diuturno sui morbi decursu perspexit vir prudentissimus quanta esset Petri virtus, et sapientia, eamque sæpe cum admiratione commendavit. Petrus etiam, cui Præsul

omnes animi sinus non semel aperuit, nobilissimam ejus indolem, et egregias suspexit dotes, quas deinde meritis ornavit laudibus, habita in illius obitu oratione funebri, in qua Joannem Ferrerium absolutum perfecti Præsulis exemplar exhibuit; eumque, inter alia, verum sapientiæ antistitem, hominem Deo plenum, et veritatis oraculum appellavit.

Luco venit Vallisoletum, ubi vertente jam ætate anni 1748 sacram missionem inchoavit. Ex Academiæ menianis, quæ in spatiosam S. Mariæ plateam despiciunt, populum ad audiendam Dei vocem accivit, ad eamque impigre sequendam excitavit. In illa sapientiæ domo (ut aiebat Illustrissimus Loazes, Academiæ tum Rector, deinde Episcopus Palentinus) quandam veluti arcem extruxit, ex qua vitium tanta contentione oppugnavit, quanta decet Apostolicum ministerium, et auditoribus classicum cecinit, ut arma capesserent poenitentiae. Nullum reipublicæ statum prætermisit, nullam conditionem hominum, cum tam multi in eam urbem conveniant, quin omnes officii commoneret. Mirabanturque viri etiam doctissimi solidum, et universale Petri magisterium, quo varias ac dissimiles auditorum classes erudiens, omnes pro ratione sui captus et muneris verbis quam aptissimis alloquebatur. Præcipuam meruit laudem oratio, quam habuit ad Judices, cæterosque illius Curiae ministros, qui jubente Præsidente convocati sunt in templum S. Ignatii, ut Petrum de recta justitiæ administratione dicentem audirent. Non defuit unus, aut alter, qui Petri doctrinam vel rigidam, vel a recepto jam usu abhorrentem existimavit. Sed plerisque ita placuit, ut urgente Præsidente typis edenda fuerit, quo possent ministri regii viam nosse tutissimam, quam in jure dicundo sequerentur. Alumnos etiam Collegii majoris S. Crucis gravissima exhortatione privatim admonuit (quod et Salmanticæ pariter fecerat) quid eos in arrepto vitæ cursu tenere, quid item vitare oporteret. Matronas ad invisendum ægrotantes in Nosocomio feminas, eisque ministrandum epulas ita permovit, ut constanter in eo pietatis opere perseveraverint. Ejus denique labor fructuosissimus in ea urbe fuit, multisque gravissimorum virorum laudibus commendatus.

Ut fidem solveret, quam Archiepiscopo Bracharensi ob-

liga-

ligaverat, ad eum hoc ipso anno redire constituit. Jamque iter ceperat, cum valetudinis incommodis solito gravius oppressus, Asturicæ coactus est sistere. Hic decumbentem Episcopus, alii que rogabant cives, ut relicta Lusitania, cujus cœlum insalubre sibi esse jam senserat, conatus suos in alia Hispaniæ regna converteret. Sed hoc ille, nec datæ fidei, nec suis convenire votis respondit. Mens quippe erat, postquam Bracharæ diœcesim omnem percurrisset, Conimbricam, et Ulysiponem, aliasque adire urbes, in quibus et se expeti sciebat, et uberrimos sperabat fructus ex Lusitanorum docilitate, quam in prima ad eos profectione perspexerat. Itaque, cum meliuscule habuit, iter in eam provinciam instituit, quam *intra Duriū et Minium* vocant: ibique ad Villam regiam Serenissimum reperit Archiepiscopum, qui diœcesim eo tempore obibat. Hic Petrum, summo exceptum gaudio, tandiu suis in ædibus manere jussit, dum perfectius ex recenti morbo, et magnis itinerum molestiis reficeretur. Multa interim cum eo contulit de ratione lustrandæ diœceseos, multaque de consilio ejus constituit, quæ ad optimum Ecclesiæ suæ regimen spectabant. Post dies aliquot instanter rogavit Petrus, ut in pagos, et oppida suo functurus munere mitteretur. Sed Præsul noluit ei, quippe nondum viribus confirmato, tantum onus imponere. Permisit tamen, ut illius provinciæ Clerum, quem Villam regiam advocavit, spiritalibus instrueret exercitiis. Quæ, cum major esset Clericorum numerus, quam ut simul omnes convenire possent, semel et iterum proponenda fuerunt; proindeque vicanos in utilissimo opere dies insumpsit.

His peractis, longius permissus est progredi, et rigente jam bruma, in oppido Provesende initium suæ dedit prædicationi, quæ in solemnibus Apostoli Thomæ inchoata, felicissimum sub ejusdem auspiciis progressum habuit, et finem. Confitentium numerus adeo incomparabilis, ut Sacerdotes facile sexaginta, qui quotidie pro sacro tribunali sedebant, expediendis omnibus ægre sufficerent: magna pecuniæ vis ad eos revoluta, quibus per injuriam ablata fuerat: anteactæ vitæ scelera voluntariis, publicisque suppliciis a multis expiata. Quidam tamen repertus est illic, qui ab impuræ vitæ sor-

dibus non nisi portento quodam fuit avertendus. Pergebat is per offusas noctis tenebras in meretricis domum, cum illum molossus ingens invasit, qui dejectum ad terram, vesteque ferociter apprehensum, hac illac raptare cœpit, et miserabiliter divexare. Divinam in tanto discrimine precatus opem, promptiorem quam pro meritis sensit. Illico dimisit eum canis, qui tamen ad ipsius latus, tanquam prædæ imminens, minaci rictu permansit. Eodem tempore proxime adstantem vidit Petrum Calatayudium, qui depravatos ejus mores coarguens, extremum illi supplicium, nisi resiperet, minabatur. Promisit ille novam ordiri vitam: et Petrus, abacta prius bestia, quæ propere aufugit, ipse quoque subito abscessit. Tum vehementer pavidus, maleque mulcatus homo ille in domum suam rediit: et post lucis exortum venit ad Confessarium, cui primum horribiles illius noctis casus, deinde sua cum lacrymis retexit crimina, hinc Dei misericordiam, inde merita extollens Petri, per quem Deus illum ab imminenti eripuerat exitio.

Relicto Provesende, Murzam in provincia Transmontana profectus est, ut in ea quoque sementem spargeret Evangelicam. Sed antequam iter illud absolveret, ischiade pertentari cœpit adeo pertinaci, ut omnem medicæ artis industriam, quæ Præsulis jussu sedulo fuit adhibita, prorsus eluserit. Tertium jam mensem ab exercitio sui muneris ob eam cessaverat invaletudinem, cum decrevit regionem illam deserre, in qua pro votis laborare non posset. Archiepiscopus, quamvis id ferret ægerrime, potiolem salutis ejus rationem habendam esse ratus, ei tandem abire permisit. Secum tamen retinuit Josephum Zuecum, qui Petrum in secunda illa expeditione Lusitana comitabatur. Is novem ipsos annos, quibus Præsuli superfuit vita, strenuam in ea diœcesi operam cum adhibito sibi socio collocavit. Petrus vero in proximum Montis regii Collegium delatus, multos hic mansit dies, antequam afflictam reficeret valetudinem.

Sub extremum anni 1749, confirmatis aliquantum viribus, nonnullas Calagurritanæ diœcesis adivit urbes, in quas, jubente Præsule, amplius quatuor mille viri Ecclesiastici convenerunt, ut exercitia S. Ignatii sub Petri ductu peragerent.

Sanc-

Sanctificatis autem eo modo Pastoribus, mirum quantum inde commodum gregi proveniret universo. Hinc enim effectum est, ut et frequentius ad christianæ doctrinæ pascua compelleretur, et mentalis orationis usu introducto, saluberrimas hauriret aquas de fontibus Salvatoris. Ad augendum etiam illius Ecclesiæ splendorem, sublatis quæ pridem obrepserant abusioibus, haud modicum juvit Petri sententia, quam tum breviter adumbratam, deinde latius exposuit in dissertatione illa, quam edidit, *De conferendis Beneficiis Patrimonialibus*. Cujus doctrinam cum probasset Episcopus, brevi diœcesis illa doctis et idoneis aucta fuit sacrorum Ministris.

Non multo post in Aragoniam pertransiit, ubi eum ex Lusitania reducem nonnulli Præsules apud se habere vehementer optabant. Ac primum Cæsaraugustam veniens, ante omnia Clerum urbanum, magnamque diœcesani partem, qui ad eam urbem accessit, sacris meditationibus, et opportunis allocutiis induxit, ut abjectis secularibus curis, omnem in Dei servitium converteret solitudinem. Multaque post sacrum illum secessum visa sunt in multis vitæ sanctioris exempla luculenta. Deinde cæteros cives contentiore dicendi genere ad poenitendum sic excitavit, ut magna esset velut mare contritio populi: quod apparebat ex largissimis, quas fundebant lacrymis, et acerbis macerationibus corporis, quas diu pro luendis culpis usurparunt. Ostendit hic Petrus, quantum a confidenti animo abesset, insignis humilitatis edito documento. Quandam acriter reprehenderat consuetudinem, quæ apud juventutem non sine multorum offensione invaluerat: eique tandem, quippe nimium ab decore abhorrenti, peccati mortalis notam inussit. Id usque adeo aliquibus displicuit, ut Petrum in circulis invidiose criminarentur. Ipse vero, ut omnibus satisfaceret, quæstionem illam Academiæ Theologis, et juris Pontificii peritis dirimendam proposuit, illud aperte professus: non alio, quam indagandæ veritatis studio se duci, suamque sententiam non gravate revocaturum, si ea Doctoribus minime probaretur. Sed illi, re consulta, atque explorata, Petri doctrinam suis confirmarunt suffragiis. Quod cum Petrus e suggestu simpliciter exposuisset, obtrectatorum siluerunt linguæ, quæ patientiam ejus, quamvis multum exercitam, ab-

rum-

rumpere non potuerant. Ob hoc, aliaque virtutum exempla non minorem sanctitatis, quam sapientiæ opinionem obtinuit. Populus sedem illam, quam ad audiendas pœnitentium confessiones occupaverat, in frusta concidit, multique legerunt asulas, quas religiose sibi reservarunt. Nec solum apud populum, sed apud gravissimos quosque cives vir sanctus audiebat, qui nihil præter Deum, et animarum salutem anhelaret. Illustrissimus Archiepiscopus D. Franciscus Annoa non dubitavit Petrum cum Apostolo conferre ob ardentem illius zelum, et infatigabilem solitudinem, qua verbi divini panem dispensabat *non in persuasibilibus humana sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus, et virtutis*. Tantamque venerationem erga illum exhibuit, ut non semel eodem poculo, quo Petrus utebatur, potum sibi jusserit ministrari. Jam discessuro certam misit pecuniæ summam, quam cum omnino recusasset, alia ei donavit munera, instanti prece addita, ne illa recipere gravaretur. Accepit hæc Petrus, sed inter eos, quos ministerii participes et adjuutores habuit, sibi nihil assumens, omnia divisit.

Cæsaraugusta Turiasonem adiit, quo vocaverat eum Episcopus, ut de gravissimis rebus, quæ tum occurrebant, consilium ejus exquireret. Inde Terulium rediit, ubi animos ad recipienda salutis monita reperit paratissimos. In Clero post peracta spiritus exercitia, quæ in diversis per diœcesim locis tradita sunt, ne quis difficultatem itineris excusaret; ea morum integritas elucebat, ut populus vehementiori studio Petri culturam expeteret. Hanc Terulii cives per dies viginti quatuor magna cum aviditate, parique fructu exceperunt. Neque aliquem sano corpore in ea urbe fuisse constat, qui aures dicenti Petro non præstiterit: quin etiam ægroti aliquot, et impediti, cum sua non possent, aliorum opera deportati sunt in concionem. Multi etiam advenerunt ex circumjectis oppidis, in quorum aliquo pueri cum dejerantem hominem audivissent, eum subito circumsteterunt, et ad imprimendum terræ osculum, prout a Petro edocti fuerant, hortabantur. Sed ille incensus ira, pueros educto pugione insectatur. Hi fugam arripiunt, sed inter fugiendum, identidem clamant: *Vivat Jesus, et tu osculum fige terræ*. Dum furens homo acrius in-

sequitur parvulos, sed optimos consiliatores, in lapidem offendit, et pronus concidens, pugione suo linguam sibi transfixit.

Alias Aragoniæ urbes, cum ubique expeteretur, libenter adisset Petrus, nisi eum inde gravis momenti negotia revocassent. Burgensis Archiepiscopus D. Joannes Guillenius multis egerat, ut illum ad se adduceret, ejusque opera et consiliis inter lustrandam diocesim uteretur: eumque tandem obtinuit per ætatem 1752. Sed paulo post, ægrotante Guillenio, Toletum profectus est ad instantes preces Archiepiscopi Pharsaliæ, qui diocesim illam administrabat pro Ludovico Borbonio Principe, Cardinali, et Archiepiscopo Toletano. In ea urbe, in qua et majestas templi, et Cleri dignitas, et amplitudo civium est maxima, zelum suum ita Petrus explicuit, ut omnibus cumulate satisfecerit. Gravissimum illum Clerum per mentales dierum decem exercitationes, quæ in Asceterio Societatis habitæ sunt, ad omnem morum ornatum, et pietatis cultum excitavit. Magno interim cives flagrabant desiderio illius audiendi viri, cujus prædicationis fructum fecundissimum ubique fuisse non ignorabant. Itaque cum publice dicere incepit, tanto studio et constantia fuit auditus, ut ad tertium, quartumve diem in plateam prodeundum fuerit e templo maximo, cujus spatiosi fines tot excipiendis auditoribus nimis erant angusti. Neque ulla per urbem visa fuit mercatorum, aut opificum taberna, quæ concionis tempore non esset occlusa. Sacer Canonicorum Senatus Decanum suum Excellentissimum D. Ludovicum de Corduba designaverat, ut quæcunque ad secundandam Petri missionem opportuna viderentur, ipse decerneret, peragendaque curaret. Is, cum videret, quantam in populo compunctionem, et pœnitentiæ studium Petri verba excitassent, æquissimum esse censuit, ut Clerus etiam ad communem omnium ædificationem aliquod piaculare specimen exhiberet. Indicta igitur publica supplicatione, quadringenti convenerunt viri Ecclesiastici, qui lugubri ac pœnali habitu procedentes, animi contritionem salutarum quodam mœrore ostendebant ipsi, et eandem aspectantibus inspirabant. Medius illorum ibat Petrus, aptissimas ex intervallo sententias ingeminans super doloribus, quos in Christi

nece pertulit mœstissima illius Mater, cujus imaginem Canonici deportabant. Duas etiam in supplicationis decursu orationes habuit de cultu Mariæ Virginis: breves illas quidem, sed iis doctrinæ luminibus, tantoque pietatis succo respersas, ut eas summa cum admiratione, ac voluptate sapientissimi auditores exceperint.

Dum Petrus in ea urbe trahendis ad Deum hominibus indefesso incumbit studio, quam intime adhæreret ipse Deo, licuit Sacerdoti cuidam agnoscere. Is ad invisendum illum ingressus, cum nullum salutanti sibi responsum reddidisset, curiosius in ejus faciem fixit obtutum: viditque Petrum sereno quidem, et placido vultu; sed oculis quantum potis erat apertis, immoteque defixis in Crucifixi imagine, quæ ante ipsum pendebat in pariete. Ter illum, aut quater elata compellat voce: nulloque accepto responso, minime dubitavit, quin Petrus per excessum mentis ab externis abalienatus sensibus, in altissimam demersus esset contemplationem. Discessit itaque ab eo, ut divinis sine interpellatore frui posset amplexibus. Sed paulo post, mutata sententia, ad Petrum rediit, quem immotum eodem manentem situ jucundissime intuebatur. Ille tandem in se reversus, Sacerdotem, quem antea non senserat, tanquam recens advenientem excepit, cum eoque cœpit colloqui perhumaniter. Existimabat autem Sacerdos, Petri ecstasim non sine divino nutu innotuisse, ut illius constaret meritum, qui Dei gloriam tanto studio susceperat promovendam.

Copiosi Toletanæ missionis fructus, cum alibi multorum literis vulgarentur, Petrum licet invitum in Matritensem Curiam compulerunt. Voluit enim Ludovicus Cardinalis Borbonius, ut eam adeo præcipuam suæ diœcesis partem Petrus etiam excoleret, per quem sciebat mirabiles animorum conversiones Toleti contigisse. Cum primum Matritum venit, multi eum Proceres, et Ministri regii, alique viri nobiles magnis honoris et benevolentia significationibus inviserunt. Quod cum videret Petri socius, cui notus erat ejus ab Aulæ strepitu aversus animus, illi per jocum dixit: Vide, quo te modo Matritum exceperit, qui tantopere Matritum venire repugnabas. Cui Petrus serio respondit: *Apage te cum istis*
in ep-

ineptiis: jam enim multi sunt anni, cum meum honorem omnem, et gloriam ad Jesu Christi pedes abjeci. Paucis post adventum diebus Clerum ad spiritualia exercitia convocavit in Professorum domum, ad quam Episcopi aliqui, multi Capellani Regis, et Parochi, alique complures Clerici Matritenses ad duo millia convenerunt. Horum plurimi quodam die publicum adiere carcerem, ut vinctos inviserent, et solarentur, ciboque reficerent abundantiore. Inter eundum, præclarum pietatis, et modestiæ exemplum circum undique affluenti populo reddiderunt: facto quippe agmine ordinatissimo, Rosarium B. V. recitabant, ollasque, saccos, aut corbes, quibus immissa erant cibaria, ipsi Episcopi, alique honoratissimi Sacerdotes per vices deferebant. Peractis exercitiis, festum solemniter celebrarunt Sanctissimo Cordi Jesu, cujus inæstimabilem erga homines caritatem Petrus luculenta oratione demonstravit. Imminentibus jam infestæ caniculæ ardoribus, qui habendis concionibus parum erant opportuni, visum est eas usque ad autumnum differre. Interea Petrus Segoviam concessit, indeque ad Palatium S. Ildephonsi pertransiit, ut Regium Cardinalem Ludovicum salutaret, qui plurimas ei gratias egit pro laboribus, quos Toleti, et Matriti susceperat cum ingenti creditarum sibi ovium emolumento.

Ineunte autumnno anni 1753 Matritum rediit, et in sacra æde Collegii Imperialis orationes habere cœpit magna cum auditorum frequentia, et utilitate. Cum jam inde a primis diebus multo doctrinæ, et auctoritatis pondere scenicos improbasset ludos, Rex Catholicus Ferdinandus VI voluit, jussit, dum Petrus Matriti concionaretur, theatrum conticescere. Deindeque Regio edicto multa sunt præscripta, quæ in exhibendis, spectandisque comœdiis tenenda erant, ut ea corrigerentur, quæ Petrus maxime reprehenderat. Biduum etiam per duas continenter horas accerrime declamavit contra impia Sophistarum hujus ævi dogmata, qui præpostera philosophandi ratione, et impotenti scribendi libidine nimiam opinandi, agendi-que licentiam lectoribus parum cautis instillare non cessant. Argumenti novitas, et opportunitas disertissimos quosque ad audiendum vehementius exacuit: meritoque suspexerunt

et nervosi vim Oratoris, qua improba Pseudophilosophorum placita confutavit, et conjunctam eruditioni sapientiam, qua docuit, rationis fideique principia aptissime inter ipsa convenire. His, aliisque consuetis orationibus, quæ per tricenos circiter dies habitæ fuerunt, Matritenses ad corrigenda vitæ superioris errata mirabiliter flexit: totque inde confessionum, et consultationum exorti sunt fluctus, ut Petrus ipse, licet id genus occupationibus callum jam obduxisset, Matriti tamen subvereri cœperit, ne suus dissiparetur spiritus, cum in tanta negotiorum mole vix ullum agendi cum Deo reliquum sibi esset spatium: quem ille timorem socio suo pari cum humilitate, atque animi dolore significavit.

Postquam orationes habuit ad populum, Magnatibus, et Nobilibus utriusque sexus exercitia S. Ignatii per dies undecim commentanda proposuit, additis quotidie utilissimis instructionibus, in quibus egit de officiis Equitum, et Aulicorum. Indeque fructus extitit cumulatissimus non singulorum modo, sed familiarum etiam, universæque reipublicæ. Præterea in Hospitio pauperum, et in domo corrigendis mulierculis destinata catecheses habuit, et exhortationes, quibus omnes ad expianda confessione peccata, et altaris percipienda mysteria comparavit. Alia denique omnibus, quotquot adesse voluerunt, spiritualia tradidit exercitia, e quibus ortum habuit nobilissima æque, atque utilissima Congregatio, sub titulo Matris Sanctissimæ Luminis erecta, quæ deinde a Patribus Toletanis sedulo exulta, plurimum juvit ad fovendum pietatis ardorem, quem Petrus excitaverat. Is autem dum publicis privatisque consiliis rem divinam ubique promovendam curabat, ab humanarum appetitione rerum animum exhibuit longe abhorrentem. Cogitabat supremi Senatus Gubernator de Sacerdotio quodam in Petri nepotem conferendo: jamque super ea re Consiliarios Regis fecerat admoneri. Sed quoniam ibi tum Petrus aderat, æquissimum visum est, ut ipse quoque apud eosdem aliquam adderet pro suo nepote commendationem. Id ille omnino recusavit efficere: solumque ad iteratas amicorum obtestationes, qui notam inurbanitatis objiciendam sibi esse asserebant, ægerrime tandem adduci potuit, ut Confessarium Regis alloqueretur, atque unum de Consiliariis sibi familiarissimum.

mum. Hunc oravit suppliciter, ut se apud cæteros excusaret, cum ipse non ideo Matritum adisset, ut sua, suorumve lucra quæreret temporalia.

Cum ibi satis jam ministerio suo fecisset, Segoviam regressus est, ubi eum Illustrissimus Murillus expectabat, ut suæ diœcesis Clerum per æternorum meditationes ad perfectionis studium accenderet, deindeque in urbe prædicaret. Hic multa movit infernus hostis, ut divini verbi promulgationem vel penitus impediret, vel jam inceptam perturbaret. Sed Petrus, qui sæpe jam viderat, lætiores ibi messem exurgere, ubi major seminandi præcesserat difficultas, Dei fretus auxilio, porro pergendum duxit. Ad præstitutam diem in urbem processit, ac præferente Episcopo Christi signum in cruce trajecti, cives ad excipiendum æternæ vitæ pabulum, quod eis afferebat, adeo ferventer et apposite invitavit, ut ex iis nemo jam hiscere auderet, qui prius omnia tentaverant, ne Petrus intra sua mœnia concionaretur. Deinde cum in platea S. Pauli orationem haberet de præfinito peccatis numero, auditorum aliqui primum submisce gemere et lamentari, tum vocem tollere, postremo *dracones, et ursos, et incendium* inconditis clamoribus iterare. Hinc terror undique sparsus, qui plerosque in fugam dedit adeo præcipitem, ut alii alios prosternerent, et conculcarent. Nonnulli Sacerdotes, ut dissipatam concionem revocarent, ad viarum capita processerunt, ubi cives consternati substituerant, visorum exitum expectantes. Rogati, quid eos ad fugam compulisset? alii sævissimas vidisse feras ajebant, quæ stragem undique minabantur: alii, Dæmones aspexisse cum ardentibus tædis incedentes: alii denique, fragorem quandam insolitum persensisse, formidabilemque strepitum, tanquam curruum, et bestiarum magno cum impetu irruentium. Sed admoniti a Sacerdotibus, hæc omnia Diaboli esse terribilia, quibus eos ab audiendis Dei verbis avertere conabatur, facile reducti sunt in plateam, ubi Petrus, cum jam omnis tumultuatio resedisset, majori cum auditorum fructu orationem suam absolvit. Paucis post diebus, cum ibidem verba faceret, lux quædam visa est in stellæ modum splendens, quæ modice supra concionis locum suspensa, rapido pertransiit cursu, et subito evanuit. Alia insuper apparuerunt phænomena, quæ

si minus naturæ vires excesserint, ex loci certe ac temporis adjunctis id effecerunt, ut Oratoris verbis magnum pondus addiderint ad auditorum animos salutariter percellendos. Hinc et austerioris poenitentiae opera passim exercita, et insociabiles ante paces compositæ, et inique parta justè redhibita, et multa alia præclare sunt gesta, quæ novam rerum faciem induxerunt.

Hæc omnia cum in proximam S. Ildephonsi Villam multorum sermonibus perferrentur, ad aures etiam Reginae Elisabethæ, quæ post obitum Philippi V Conjugis sedem ibi fixerat, pervenerunt. Continuo Segoviam misit, qui Petro suis verbis significaret, pergratum sibi facturum, si ad regiam illam sedem accederet, in eaque missionis suæ munere fungetur: eumque deinde advenientem perhumaniter et reverenter excepit. Petri tamen adventus non omnibus perinde gratus fuit, ac Reginae. Cum enim ab ea discessisset, nullus sibi locus concedebatur, qui habendis concionibus esset idoneus. Hoc ille ut amoveret obstaculum, tribus secum adductis Sacerdotibus, in domum cujusdam Aulici recta contendit, qui difficultatem illam vel fovebat ipse, vel certe, si serio vellet, facillime superaret. Ad colloquium admissus, ea sermonis gravitate, atque animi constantia illum fuit allocutus, ut homini hæreret aqua, et penitus exalbesceret. Exinde cessarunt oppositiones, et Petrus opportunum concioni locum invenit. In eo per dies plurimos ad detestanda commissa, novamque vitæ rationem instituendam ita suos induxit auditores, ut ipse tantam animorum commotionem nusquam se vidisse fateretur. Nobilissimi viri, qui conspicua vel civilia, vel militaria munera obibant, gravia de se supplicia sumere visi sunt. Omni quippe deposito fastu, et vilioribus induti vestibus, velataque facie procedentes, rigidis sua corpora flagellis cruentabant, et genibus in templorum atriis subnixa, magnis gemitibus divinam implorabant misericordiam. Sed illud longe fuit maximum, quod sublatis vitiorum irritamentis, ingestum virtutum semen altas in auditorum cordibus egit radices, et copiosum in diuturna tempora reddidit fructum.

Ut felicius Petri cœpta procederent, pia Reginae sollicitudo plurimum juvit. Nam et Aulicos admonuit, jucundissimum

sibi fore, si omnes dicenti Petro aures præberent; et Hortorum operas tribus quotidie horis cessare jussit, ut concionibus interessent, nulla facta propterea pactæ mercedis imminutione. Ipsa etiam aliquoties Petrum advocabat, ut consilium ab eo peteret, ac de rebus animi sui conferret. Rogavit illum aliquando, ut sui coram Deo meminisset, quippe jam ad vitæ metam propinquabat. Cui Petrus: *Faciam*, inquit, *libenter. Et sane Hispaniarum Reginam maxime decet mortem cogitatione præcipere, et Regem Regum humiliter revereri.* Quæ Petri verba Reginæ animo ita insederunt, ut ea frequenter usurparet, quoties aliquod pietatis opus aggrediebatur. Præterea, cum audisset, aliqua sibi reddi, quæ injuste ablata fuerant, quidquid ad eam diem e Palatio sublatum furtive fuisset, liberaliter condonavit: quod etiam imitatus est Ludovicus Reginæ filius, idemque deinde Proceres effecerunt. Petro insuper profectionem jam adornanti auri summam misit non exiguam, quam ille nullis precibus adductus est ut acciperet. Neque inde in ullam, ut multi suspicabantur, Reginæ offensio- nem incurrit, quæ potius pro singulari sua prudentia integri- tatem viri collaudavit. Et cum rescisset postmodum, Petri nep- tem ab induendo religioso habitu facultatum angustiiis retardari, eidem dotis donavit nomine, quæ patruus habere sibi no- luerat. Denique Sacerdotem illum large munerata est, qui domi suæ Petrum exceperat, cum is oblatas e regia mensa dap- pes pari constantia recusasset. Quibus, aliisque rebus cum exi- miæ probitatis præbuisset specimen, magnam sibi benevolen- tiam conciliavit et gratiam.

Abulam deinde veniens, cum ingenti veneratione civium, quorum multi ex omni ordine obviam ei processerunt, fuit exceptus: et ingressus hic felix exitum habuit multo felicior- em. Ad Petri voces tantus placandi Numinis exarsit ardor, ut non viri solum, sed pueri quoque flagris se publice cæde- rent, et mulieres intra domos graves sibi poenas infligerent: magnus aversæ pecuniæ numerus ad eos rediit, quibus jure de- bebatur: multa dissidentium paria in mutuam concordiam re- vocata: multoque plures dissociati sunt, quorum amicitia sanc- tissimis Dei legibus repugnabat. Quo in genere illud peculiari dignum narratione memoratur. Feminam, quæ ad Petri pe- des

des accessit, nulla is ratione potuit inducere, ut peccandi periculum amoveret, quod domi suæ fovebat sponte. Et quoniam aliud obtinere non potuit, quandam illi christianam veritatem proposuit, quam tacita cogitatione ruminaret. Hæc alte quidem infixæ est ejus menti, ut aliquando nec cibum sumere, nec somnum conciliare potuerit; sed in retinenda suæ ruinæ occasione nihilo minus perseverabat. Post non multos dies Petrum videt ad se intempesta nocte ingredientem, qui objecta sibi Crucifixi imagine, quam ferebat, multis eam hortatur, ut quantocyus offendiculum e medio tollat, et ad poenitentiae Sacramentum accedat: si secus faxit, gravissimas ei minas intentat. His mulier conterrita, quidquid suadebatur, effecturam promisit: maneque consurgens, primum peccati sui fomitem expulit, deinde confecta lacrymis venit ad Confessarium, cui peccata sua, et mirabilem Petri in domum suam ingressum exposuit. Contendebatque ab eo magnis precibus, ut rem omnem, ne suo quidem dissimulato nomine, palam vulgaret, ut et Domini misericordiam, et Servi sui meritum omnes agnoscerent, ipsaque aliquam pro sceleribus suis Deo redderet satisfactionem.

Clerum Abulensem ad tenendam Ecclesiasticæ disciplinæ formam per divinarum rerum commentationes instituit. Aderat his Episcopus, qui Petri fervorem admiratus, quodam die ad Collegii Rectorem conversus: Hic homo, ait, totus constat spiritu. Cui Rector: Atqui hoc tibi confirmare possum, Petrum nostrum jam biduum laborare febris, neque aliud per hos gustasse dies, quam simplicem potionem chocolati, juris autem duplicem. Ad hæc Præsul vehementius obstupuit: multique alii prodigio simillimum reputabant, hominem ea corporis infirmitate, cibique parsimonia tantam in dicendo contentionem, et in agendo constantiam exhibere. In Cœnobiis etiam sacrarum Virginum pias meditationes exposuit, quæ in S. Mariæ de Gratia, ubi contra eas initio repugnatum fuerat, ut deinceps quotannis fierent, decretum est omnium calculis. In urbe Marianam aperuit Scholam, quam deinde singulari animorum comodo et viri, et feminæ frequentarunt. Ob hæc, et alia, quæ ad utilitatem civium maximam pertinebant, Senatus, Populusque Abulensis, in quo loco pro concione Petrus dixerat, statuam

tuam ære publico posuit B. Virgini de Columna, inscriptionemque in stylobata fecit incidi, quæ posteros de Petri erga rempublicam meritis admoneret.

Dum Abulæ morabatur, quidam illius Collegii Socius, cum Petrum per ambulacrum incedentem proxime sequeretur, hæc interim cum animo suoolvebat tacitus: Hic enimvero vir justus, et sanctus est: utinam aliquid de illius spiritu Deus mihi concesserit! Et quasi speraret voti sui compotem fore, si Petri vestigia premeret, coepit de industria gressum ibidem figere, ubi suos ille ponebat pedes. Tum Petrus severo vultu ad eum repente conversus: *Quid agis?* inquit. *Nostrarum observantia legum ea demum est via, quam Deus a te calcari desiderat.* Hæsit ad hæc conterritus ille alter, nec prorsus aliquid ei subiit, quod in præsentia responderet: sed in præconcepta de sanctitate Petri opinione majorem inde in modum fuit confirmatus.

Arevalum, et Oropesam, quæ præcipua sunt Abulensis diocesis oppida, sacris etiam ministeriis erudit. Dum Arevali numerosum Clerum solitis S. Ignatii meditationibus exercebat, non defuit, qui multa procaciter contra sancta illa vomeret exercitia. Sed is non seras, nec sane leves persolvit maledicentiæ suæ pœnas. Paucos intra dies acuta correptus febris, neque ullis Sacramentorum præsidiiis communitus, vitam nimium miserando modo finivit. Oropesæ, cum ad prædicandum, duobus stipatus Clericis, quodam die procederet, feminam in vestibulo suæ domus sedentem vidit, eique dixit: Nonne satius tibi foret aliorum exempla sequi, quos vides ad concionem properare? Cui mulier: Id ego, Pater, vehementer cupio, atque ut præstare possim, suppliciter a Deo peto. Sed pedibus debilitata, gressum facere omnino non valeo: ideoque vicinos rogavi meos, ut ad concionis locum in hac me sella portarent; qui tamen efficere non voluerunt, ne forte obterar in eo tot hominum concursu, et pejus habeam. Cum hæc audisset Petrus, sublati in cœlum oculis, et nimium accensa facie, parumper substitit. Deinde ait feminæ: *Confide filia: vota tua Deus exaudiet.* His dictis, perrexit prorsum, et femina penitus expedita, confirmatisque pedibus, deinceps ad concionem quotidie venit, nullo jam aut hominum auxilio, aut alio indigens fulcro: in eodemque valetudinis statu

post menses aliquot perseverabat, ut ii cum juramento testati sunt, qui Petrum eo die comitabantur.

Anno 1756 jam exeunte, iter ad Baticam instituit, ut morem gereret Eminentissimo Cardinali de Solis, qui pridem apud se Petrum habere desiderabat, ut is amplissimam diocesim Hispalensem percurreret, et contractis ex diuturna sui Pastoris absentia languoribus mederetur. In ea peregrinatione comitem habuit Nicolaum Zubiaurum, qui Joanni Cenzano successerat, deincepsque Petrum in cæteris expeditionibus naviter juvit. Hispali venerabilem illum Clerum, cui præivit quotidie Cardinalis, ad officii munus instruxit mentalibus exercitiis, quibus et ad suæ perfectionis studium, et ad promovendam aliorum salutem vehementer fuit excitatus. Cum deinde in suggestum publice dicturus conscendit, multi inter alia pulcherri-
 mum illum ordinem admirabantur, quo Petrus pene militari peritia immensam civium multitudinem distinctis pro cujusque classis conditione sedibus collocabat. In amplissimi consessus centro numerosos pauperum greges constituit, quibus Præsul et suæ liberalitatis impulsu, et Petri suassu largam quotidie stipem erogabat, ut promptiores ad audiendum Dei verbum accederent. Fuerunt tamen multis partibus mirabiliores intimi doloris sensus, et vehementes animorum motus, quibus auditores suos ad præterita deflenda errata, novosque induendos mores induxit. Unde aliqui earum rerum æquissimi æstimatores missionem Hispalensem cum fructuosioribus, quas Petrus in eam diem susceperat, merito comparandam esse affirmarunt.

Nonnulla etiam Hispali contigerunt, quæ ad augendam Oratori fidem haud modicum valuisse crediderim. Religiosus quidam ob ea, quæ de Petri orationibus ex aliorum sermone cognoverat, nihil admodum putabat esse, cur illæ magnopere commendarentur. Is quodam die cum Petrum audisset, tantum abfuit, ut a præhabita opinione discederet, ut firmior in eadem perstiterit ob unicum Petri periodum, quam censuit ille, in gravissimum illud auditorium minime convenire. Postridie senex ad eum venit, ut totius vitæ crimina fateretur, in quibus annos amplius quinquaginta miserrime volutabatur: et ultra modum obstupuit, cum mutationis suæ causam ad ea Con-
 cio-

cionatoris verba referentem audivit, quæ ipse tanquam nimis importuna damnaverat. Exinde Petrum revereri cœpit, Deumque per os ejus loqui, palam profitebatur. Patuit etiam per eos dies, qua ille in officina cuderet ea verba, quibus peccatorum animos ad promptam, et stabilem pœnitentiam adducebat. Dominus Franciscus a Busto, in equestri S. Jacobi ordine Sacerdos honoratissimus, Petri cubiculum ad conductam sibi horam ingressus, illum coram imagine Crucifixi submissis orantem genibus, et mente sic in Deum erecta reperit, ut nullum in eo motum, ac ne respirationem quidem deprehenderit. Compellavit eum sæpius; sed nullam mittentem vocem, tantum non mortuum credidit. Postquam multa tentavit frustra, ægre illum tandem excitavit: et Petrus ab excessu mentis sibi jam redditus, ad ea, quæ afferebantur, solita cum affabilitate respondit. Hoc autem, aliaque virtutum insignia tantam ei apud Hispalenses venerationem pepererunt, ut Pictorem in domum suggesto proximam immiserint, qui Petrum, dum verba faceret, ad vivum exprimeret in tabula, cujus deinde aspectu et memoriam optimi viri refricarent, et ad tenendam salutis viam, quam eis indicaverat, incitarentur.

Ex urbe in celebre Trianæ suburbium transiit, quod alteram non immerito urbem appellaveris. Hic præter illos, qui civium jure funguntur, ex ea gente multi etiam incolunt, quos aliis alibi nominibus, in Hispania Ægyptianos vocant. Genus hominum improbum, qui, cum raptò vivere assueti sint, et fraudulentia pleni; mores tamen ingenuos, et liberalem agendi modum, quo securius decipiant, jactare non desinunt. Hos Petrus et unctione divini Spiritus, et suorum vi verborum ita delinivit, ac flexit, ut gravissimas de se ipsi pœnas sumerent pro vindicandis injuriis, quas Deo intulerant, et hominibus. Fere omnes ad pœnitentiæ fontem conscientias abluerunt, divinisque pasti sunt dapibus eo contritionis, et pietatis sensu, totque permansuræ frugis indicis, ut miraculo comparandum crederent quicunque perditos illius gentis noverant mores. Exultabat his Cardinalis animus, et qui Petrum initio per triennium tantum in vineam suam conduxerat, non antè quinquennium dimisit, serius etiam illum dimissurus, nisi hujus corruisset valetudo.

Eo tempore ad urbes, et celebriora diœcesis oppida frequentes et utilissimas fecit excursions, quibus Clerum, et populum sic ad meliora traducere conatus est, ut constans et diuturna esset morum emendatio. Exercitiorum S. Ignatii præsidio multa correxit in Clero, multa item instituit, quæ ad restituendum vigorem disciplinæ vel necessaria prorsus erant, vel maxime opportuna. Nonnulli Clericalem habitum cum offensione populi non induebant. Alii, secularibus implicati negotiis, divina negligenter, aut etiam cum tædio pertractabant. Curiones aliqui non ea, qua par erat, sedulitate suarum ovium commodis invigilabant. Hæc omnia solícite quidem, sed prudenter adeo emendavit, ut apud eos nunquam offenderit, quos debuit de reformatione vitæ admonere. Accessit etiam auctoritas Præsulis, qui decretis suis adegit Parochos ad explicandam in diebus sacris doctrinam Christi, et Fideles ad reddendam coram Parocho institutionis suæ rationem, antequam Paschalia festa celebrarent. Ad fovendam vero pietatem, in quam propensos Baticorum animos noverat Petrus, præter erectas multis in locis Congregationes, quibus sacratissimi Cordis Jesu, et Mariæ Virginis cultum promovit, in plerisque populis publicum orationis mentalis usum induxit, qui deinde Sacerdotum industria, et exemplis plurimum viguit.

Jam, si omnia velim exponere, quæ Petrus in Batica laudabiliter gessit, jucunda quidem, sed proluxa nimis foret oratio. Quædam tantum attingam, e quibus aliorum poterit non levis fieri conjectura. Astæ Regiæ, quam vulgari sermone Xerezium vocant, familias duas nobiles, et strictis connubiorum vinculis conjunctissimas, inveterata per annos viginti quinque discordia ita disjunxerat, ut neque avus nepotes nosceret, neque filius inviseret genitores. Multi viri graves, ipsique Prælati suam non semel interposuerant auctoritatem, ut pacem inter dissidentes conciliarent, semper tamen incassum. Petrus in illius domum ingressus, qui præcipuus dissensionis auctor habebatur, ab eo primum abalienati a propinquis animi causas omnes exquirat: deinde illas exponit, quæ Christianum hominem ad condonandas injurias permovere debent. His pervicaciam illius viri, nimium antea sibi confidentis, penitus fregit, ipseque palam confessus est, nihil sibi esse, quod ad Pe-

tri verba reponeret. Quod si aliquis, dixit, tam aperte mihi esset locutus, nã ego pridem ab hac mea mentis obstinatione discessissem. Illa ipsa dies diuturnis dissidiis finem attulit optatissimum, et utriusque familiæ capita, magna omnium civium lætitia et admiratione, depositis simultatibus, in mutuam redierunt animorum consensionem. Plurima id genus frequenter occurrerunt, quæ, ut in alia transeam, prætermitto.

Astigi civis quidam cognomento Morales, egregiam apud suos navavit operam in promovendis Petri consiliis, quem ipse ut virum sanctum venerabatur: eamque opinionem ex sequenti casu in suum animum altius induxit. Decreverat is omnes vitæ suæ labeis Petro quodam die detegere, in easque diligenter inquirebar intra chorum templi, cum Petrus ad eum veniens, hæc in ejus aurem insusurravit: *Confessionem istam in alium diem rejice, quem ego tibi designa-vero*. Obstupuit homo vehementer, quoniam suum illud confitendi consilium cum nemine prorsus, ac ne cum ipso quidem Petro communicaverat. Sed multo miratus est vehementius, cum deinde ad Petri pedes accedens, ab illo de quibusdam admonebatur, quæ olim admiserat, et in longa, diligentique animi discussione sibi nunquam occurrerant. Hæc ille civis: qui hæc omnia ad Dei, ejusque Servi gloriam palam fieri desiderabat. Morone quoque, nobili Baticæ municipio, multi testati sunt, cum Petrum consilii, confessionisve causa convenissent, abditas conscientiæ suæ latebras, et occulta peccata sibi retexisse. Postquam Huelbæ magno cum animorum fructu prædicaverat, ad eum in suburbanum, in quod per dies aliquot discebat, venturum esse promisit Huelbensis quidam Ecclesiasticus, cui Petrus asseveranter dixit, ne iter illud susciperet, quod ei minime futurum erat expediens. His ille non deterritus, cum amicis suis ad invisendum Petrum advenit: jamque Villæ fines attigerat, cum repentina oppressus apoplexi, semivivus, et expers sensus in terram decidit. Affuit statim Petrus, qui miseratus hominis vicem, sic exclamavit: *Non temere illi ego dixeram, ne veniret*. Ægrotum in lecto collocari jussit, ipseque discessit in cubiculum. Inde post non brevem moram ad illum rediens, nihil esse dixit, quod in præsentia timendum ejus vitæ foret. Et vir quidem ille paulo post e lecto

surrexit, mensæque omnino sanus accubuit. Comiter admonuit cum Petrus, ut in posterum promptior esset ad obediendum: et ipse, vitam illi acceptam referens, qui letalem ictum et præviderat, et suis, ut putabat, precibus continuerat; vesperi cum amicis in domum rediit incolumis, neque ullam post longum tempus tam periculosi morbi sensit offensionem.

Inde magno in honore erat apud Báticos, qui venerationem suam non solum Petro, sed ejus etiam rebus nonnunquam exhibuerunt. Baculus, et galerus sublata illi fuerunt in urbe S. Mariæ, dum sedebat ad audiendas confessiones. Id ille joco tribuendum censuit; sed galerum sibi subrogatum, quippe suo valde pretiosiore, ut primum domum rediit, cum alio viliore commutavit. Hinc pariter fiebat, ut illius verba et avidius exciperentur, et firmiter in auditorum animis residerent. Quanquam apud illas gentes vix in more positum erat, ut finibus suis excederent ad auscultandos Præcones sacros, Petrum tamen ut audirent, multi etiam ex longinquo properabant. Huelbam in Eleplensi comitatu sex advenarum millia convenerunt, qui ab indigenis liberaliter excepti sunt, ut percipiendi divini verbi famem explerent. In iis fuerunt incolæ Vallisviridis mille ac ducenti, qui domi suæ paucis ante mensibus Petrum audierant: nunc autem ad regustandam ejus doctrinam iter aggressi sunt ad millia passuum octo et viginti. Longam adeo viam omnes coronati caput spinis, nudique pedes, et, quoniam esuriales recurrebant dies, plerique jejunii servantes legem confecerunt. In duos semper tributui ordines, divinas pergentes cantabant laudes, præcinente Sacerdote, qui erecta Cruce, ac pari cum cæteris pœnitentiæ cultu pium ducebat agmen. Huelbæ tribus commorati diebus, totidem concionibus interfuerunt, et elutis confessione maculis, sacraque percepta synaxi, ad Patriam eodem, quo venerant, ordine reverterunt.

Quo autem ardentius erat audiendi Petrum studium, eo quoque major in tenendis honestæ vitæ documentis, quæ ab ipso tradebantur, auditorum erat constantia: quod Petri non tantum verbis, sed morum ejus integritati, et præclaris virtutum exemplis, unde vim suam Oratoris Christiani voces accipiunt, potissimum tribuebatur. Socius quidam Baticus, qui

sacris ministeriis, postquam Petrus inde discesserat, multos in ea Provincia lustravit populos, passim in excursionibus suis reperisse ait, qui Petri consiliis ad bonam conversi frugem, in proposito melioris vitæ constanter perseverabant; atque inculcata sibi religionis principia, et insinuatæ piorum operum exercitationes perinde retinebant, quasi recenter hortantem Petrum audissent. Multos item sibi asseruisse, ab suæ pravitate vitæ nonnisi Petri industria potuisse recedere. Cum enim alios sæpe Sacerdotes adiissent, ab eis semper ob debiliorem animi sui comparisonem fuisse rejectos. Ad Petrum vero cum tandem, devicto metu, accessissent (talem quippe futurum esse timebant in conscientiæ foro, qualem vitia de superiore loco severe corripientem audiebant) tantam in eo suavitatem, ac tam efficacem persuadendi vim invenisse, ut alacres inde ad ingrediendum novæ vitæ cursum discesserint, quem deinceps magno et ipsorum gaudio, et aliorum exemplo firmissime tenuerunt.

Inter alias Petri per Bæticam expeditiones haud postremum obtinuit locum, si fructus ubertatem, et laboris magnitudinem inspicias, quam ad Ayamontanos, et viciniam suscepit. Ayamontium urbs est Bæticæ ad Anam flumen in Lusitanix confinio sita, in quam proinde perditissima utriusque fæx regni facile confluit, ut promeritas commissorum alibi pœnas effugiat. Hic tamen, ut ipse agebat Petrus, *ubi abundavit delictum, superabundavit et gratia*. Cives, et alienigenæ vehementi adeo contritione commovebantur, ut aliquando eorum gemitus et clamores omnem dicentis contentionem excesserint. Unde Petrus mitioribus verbis utendum ratus, orationem suam ad clementiam, et benignitatem convertit. Sed hinc auditorum animi maxime visi sunt liquefieri; et viri quini, vel seni, in quibus erat dux militum, exanimis præ dolore corruerunt. Hanc animorum commotionem par etiam consecuta est morum emendatio. Inde in Oceani litus excurrit, ut Malacitanis, Aragoniensibus, Valentinis, aliisque aliarum gentium piscatoribus prædicaret, qui certis anni temporibus in piscosam illam oram frequentissimi conveniunt. Res erat plane ardua, nec vacua periculi. Per æstuarium enavigandum erat, caricibus, et juncis hinc inde septum, quibus difficillimus

mus reddebatur in terram descensus. Et, ut feliciter evasisset, non aliam in litore sperabat habitationem, præter vilia piscatorum tuguria, contra perfrigidam anni tempestatem male admodum tuta. Tamen in eorum quodam exceptus, multos hic mansit dies magnis quidem incommodis, nam et lectus ejus per noctem pluviam penitus maduit; sed magna etiam animi voluptate, quoniam inter piscatores illos ita rete suum misit, ut copiosam et ipse fecerit animarum piscationem. Ayamontium deinde rediens manifestum incurrit vitæ discrimen. Exorta quippe procella, cymba ad Anæ ostium, ubi tumidiores surgebant fluctus, fractis jam remis, amissoque gubernaculo, proxime fuit absorvenda. Remigum unus in mare desiliens, abreptum undis gubernaculum apprehendit, suoque restituit loco: tandemque omnes singulari Dei beneficio, quod Petri tribuebatur meritis et precationibus, in portum venerunt incolumes.

His autem, similibusque laboribus sensim concidebat illius salus, supervenienteque feбри, quæ per semestre integrum nunquam remisit, in consilium vocati Medici, non aliam levandæ valetudinis viam, præter cœli mutationem, invenerunt. Ad eum nuntium Eminentissimus Cardinalis in lacrymas ubertim effusus, instanter rogavit Petrum, ut quoniam illum, quod maxime cuperet, diutius retinere non poterat, non sinneret incunctanter ad se venire, quotiescunque de imminente sibi mortis periculo certior efficeretur. Id Petrus, cui biennium supervixit Cardinalis, præstare non potuit. Nunc peractis ei maximis gratiis pro eximia liberalitate, qua sibi, suoque socio, quæ opus erant, subministraverat, ut expeditiores ad Evangelii promulgationem per diœcesim illam excurrerent, inde in Provinciam suam discessit ineunte anno 1762.

Fines vix attigerat Castellæ veteris, cum melius sibi esse sensit, et Vallisoletum veniens, quæ illi sedes designata erat, dum peregrinandi non esset opportunitas, paucos intra menses pristina fuit redditus valetudini. Hic eum invisit nobilis Asturicæ juvenis, Josephus Nietus, cujus Matri repentinus pavor mentem ita turbaverat, ut jam inde ab annis septem nec Sacramenta percipere, nec divinis auderet assistere. Perspecta erat Petro illius Matronæ pietas, cujus etiam ani-

num intime noverat. Propterea, cum miserandam ejus sortem audisset, hæc juveni mandata dedit ad Matrem: *Peccatrici* (sic enim eam appellabat) *meis verbis dices, ut templum adeat, ad confessionem, et communionem sacram accedat, e purgatorio carcere animas liberet, nec dubitet se tandem salvam fore, quidquid Diabolus contra obnitatur.* Hæc omnia filius, cum primum in domum rediit, Matri suæ totidem verbis expressit: quibus illa ab diuturno animi veterno visa fuit excitari. Et cum eadem ipsi per intervalla quædam ingererentur, post octavum diem vocatam servam secum venire jubet in templum: ibi Sacrum auscultat, deinde ad Confessarium accedit, postremo divinæ mensæ reverenter accumbit. Cœlesti sumpta buccella, velum ab ejus oculis fuisse reductum, novamque rerum omnium faciem objectam sibi esse affirmabat. Deinceps, nulla alia adhibita medicina, perfectum rationis usum retinuit, et in antiquo pietatis studio per annos amplius viginti, quibus duxit spiritum, indefessa perseveravit. Eamque gratiam a Deo per obsecrationes, et merita famuli sui Petri non dubitabat obtinuisse.

Is sufficienter refectus viribus, ad intermissos ministerii sui labores reversus est mense Majo. In primis Villamorium profectus, est, quod in regione Benaventi situm, Episcopo subjacet Ovetensi. Tenebat eo tempore sedem illam Illustriss. D. Augustinus Gonzalius Pisadorus, qui jam usque a puero singulari veneratione, parique amore Petrum prosequabatur, quem habuerat Methymnæ ad humaniora, et Philosophica studia Præceptorem. Nunc multis apud eum institit, ut incipiens a Vicariatu Villamoriensi, diœcesim suam iterum instrueret ad salutem. Villamorium, ubi mille fere et quingenti numerantur incolæ, ad audiendum Petrum quatuor, aut quinque mille, Pastoris incitati literis, nonnulli etiam cœlitus immisso metu accurrerunt. Quidam enim agricolæ, ut concionibus non interessent, urgentem agrorum cultum excusarunt initio. Hi, dum solitis incumbunt laboribus, insolitam experti sunt corporis lassitudinem; a qua per nocturnam relevati quietem, ad opus postridie suum impigre revertuntur. Sed brevi usque adeo fessi sunt laborando, ut domum præmature repetere coacti fuerint. Cum omnes insuetum illum languorem mira-

rentur, non defuit inter eos, qui a Deo injectum sibi esse diceret ob importunam colendi agri solitudinem, quæ illos ab utiliore animi cultura retardabat. His prudentis viri dictis conterriti, tertiam in agros tentare profectionem ausi non sunt, promptioresque deinde fuerunt ad auscultandam Patrum doctrinam. Hic Petrus, quod et alibi fecerat, publicum orandi mente exercitium instituit, convocatis in templum civibus (aut mane, aut vesperi, pro diversa cujusque populi conditione) quibus Sacerdos meditandi capita proponebat ex libro, quæ deinde taciti commentarentur; in eoque semihora nec invite, nec sine magno profectu ponebatur.

Antequam iter ad Astures aggrederetur, Villanfrancam in Bergidis coactus est proficisci, magnis Cleri, et Senatus illius oppidi precibus exoratus: fuitque juvandis animis, et corporibus adventus ejus opportunissimus. Regionem illam vexabat eo tempore dira fames, quæ usque ad alicujus internecionem sævisse dicitur: multique pauperes, misero squalore oppressi, et horribili confecti macie, ægre lurida trahebant corpora. Commotus eo spectaculo Petri animus, calamitatem illam omni ope sublevandam curavit. Marchionem Villæfranchæ Dominum, datis ad eum literis induxit, ut subditorum succurreret indigentia. Nobilium etiam, ac divitum, et totius Cleri pietatem excitavit, ut egenorum inopiæ, pro sua quisque facultate, largius solito subvenirent. Collecta est pecuniæ summa non levis, quæ alendis in ea annonæ difficultate pauperibus abunde suffecit. Ad suscipienda quoque salutaria consilia paratior inter adversa redditus auditorum animi, desideratam mutationem morum ad Petri verba exhibuerunt: cujus zelum et caritatem cum omnes suspicerent, non alio eum, quam viri sancti nomine compellabant.

Inde secundam ad Ovetenses profectionem instituit, quam, ingravescentibus suæ valetudinis incommodis, summa cum difficultate confecit. Vix poterat gressum facere, cum ad urbem accessit, in eamque ingressus est, brachiis sui comitis sustentatus. Obviam ei propere venit Episcopus, qui ad carissimi Magistri pedes inobservatus procubuit. Ad insperatam illam observantiæ significationem Petrus ei graviter dixit: *Accipe, Illustrissime Domine, hanc Christi imaginem, et sequere me.* Hæc di-

dicens, in alium repente mutatus est virum, et nulla jam usus fultura, libere quoquo versus discurrens, faces omnibus ad pœnitendum subiciebat. Cum ad plateam venisset, in quam immensa populi multitudo concurrerat, ex podio adventus sui finem exposuit, tantamque paucis verbis in auditoribus compunctionem excivit, ut plane illa nocte constiterit, quid valeat homo Spiritus S. donis instructus. Sub finem conversus ad Præsulem, qui prope aderat, Crucifixum ei tradidit, dicens: *Huc ades, Domine, et benedic populo tuo.* Episcopus, quanquam imparatus accesserat, ad ea Petri verba novo ardore succensus, ferventissimam fecit adhortationem, cui multam ejus lacrymæ vim addiderunt, et benedictionem suis ovibus impertivit. Huic initio cætera fuerunt consentanea, et sacram illam missionem mirabiles pœnitentiæ, ac justitiæ fructus sunt consecuti. Quos cum videret R. P. Magister Feijous inter amplexus et lacrymas his Petrum affatus est verbis: „Hoc enim, „vero est, Pater mi, strenuum Evangelii ministrum agere, „qui non suam, sed Dei gloriam inquit. Mihi vero quid „fiet post tot vitæ, ac studiorum annos, qui haud scio, quam „demum in partem sint accipiendi? „Et præclaram hanc de Petro, de se autem demissam opinionem non semel ille Vir sapiens, et pius similibus expressit verbis.

Diabolus vero, ut Petri cœptis obsisteret, hic etiam turbas conatus est excitare. Quo die de pœnis agebat damnatorum, ab una viarum quatuor, quæ in plateam ducunt, immanis quidam et horridus canis erupit, qui supra mulierum capita insiliens, et terrorem undique spargens, ad mediam usque concionem penetravit. Inde turbari omnes, et clamoribus cœlum implere. Tum Petrus, vocem intendens, exclamavit: *In Dei nomine, cujus ob honorem verba ego vobis facio, si leat omnis lingua, et det gloriam Deo.* Ad imperium istud tumultus omnis conquievit, et monstrum illud non amplius apparuit, nec ab eis quidem fuit visum, qui ad quatuor viarum capita pro meliore concionis ordine agebant excubias. Alio item die, postquam dicere inceperat, nubes etiam stillare cœperunt. Trepidantibus civibus, locumque mutare gestientibus: *Quiescite, dixit Petrus, et mecum salutationem Angelicam, ut pluvia desinat, pronuntiate.* Appensam ex more

habebat ad suggesti latus imaginem Mariæ V. de Columna, quam ab eo tempore, cum augustissimum ejus templum inviserat Cæsaraugustæ, in Patronam elegerat suarum expeditionum. Facta igitur coram ipsa brevi illa deprecatione, statim cessavit pluvia. Sed ea denuo ingruente, cum concio dimittebatur, iterum potentissimum Reginæ cœli patrocinium imploravit, ut eis siccum cœlum concederet, qui peregre venerant, quorum alii duodecim, alii sexdecim confecturi erant millia, ut in ædes reverterentur. Ad iteratas preces sudum continuo rediit: illicque advenæ, Rosarium B. V. in eadem platea inchoantes, iter in domos suas læti suscipiunt. Post quatuor horas nimium concretæ nubes densissimum demiserunt imbrem, qui totam tenuit noctem. Inclarescebat his Petri nomen apud eam gentem, quæ ubique doctrinam ejus, moresque suspexit. Cum iter ageret per diœcesim, cujus præcipua lustravit oppida, obvios habuit aliquot viros, qui eum, quippe de facie non bene notum, taciti præterierunt. Occurrentem deinde socium rogarunt, essetne P. Calatayudius, qui proxime præcedebat? Affirmante illo, omnes conversa in eum facie, nixi genibus, et complicatis supra pectus manibus, tanquam vir sanctus esset, perinde venerati sunt.

E salebrosis Asturum montibus Vallisoletum rediit supra modum debilitatus. Hic tamen ab anno hujus seculi sexagesimo tertio sanctificandis per exercitia sacra civibus utriusque sexus egregie sub finem jejunii maximi adlaboravit. Aderat vespertinis horis Illustriss. Episcopus D. Isidorus Cosius, qui quodam die Patribus, ad januam eum deducentibus, Petri dicendi vim hoc lepido verborum lusu significavit: *Ego quidem existimo, Paulum non aliter prædicasse, quam Petrum*. Nec minorem laudem femina quædam nobilis facto suo Petri verbis attribuit. Habebat hæc nescio quam dilectissimam mundi muliebris supellectilem, quam magno sibi pretio comparaverat. Sed cum audisset Petrum, de superfluo, vanoque mulierum ornatu disserentem, tantum sui, suæque concinnitatis odium concepit, ut domum rediens, pretiosum illud ornamentum flammis dederit comburendum. Quanta vero reipublicæ utilitas e sacro illo secessu consurgeret, testes erant et cives ipsi, et numerosa Sacerdotum cohors ad S. Ignatii

tii commorantium, quorum quotidiana assiduitas vix erat satis colligendis pœnitentiæ fructibus, qui ad eam Petri culturam exoriebantur.

Ququam per id tempus non adeo frequentes faceret excursions, quasdam tamen intra dioecesim Vallisoletanam, nonnullas etiam extra illam suscepit. Occasione litis contentiosissimæ, quæ de communibus pascuis Secam inter, et Navam insurrexerat, eo missus est, ut exulceratos veteri dissidio animos, ad exequendam pacifice sententiam Judicum, quæ lata jam fuerat, compararet. Timebant multi vehementer, ne aliqui pugnaciter obsisterent, et luctuosas moverent rixas. Sed his occurrit malis prudentia Petri, et auctoritas, quæ magna illi erat apud illos populos ab eo etiam tempore, quo Philosophiam Methymnæ docuit. Et apud Navenses quidem præcipuam inierat gratiam, quibus et insignem dederat operarium D. Franciscum Nunnium, et alterius popularis sui Ven. Antonii de Bermejo spiritum approbaverat, cum adhuc de virtutum ejus sinceritate a non paucis dubitaretur. Nunc ergo omnes publicis privatisque adhortationibus ad mutuam concordiam, debitamque decretis Judicum submissionem adduxit: unde omnia tranquille peracta sunt, nec deinceps inter incolas utriusque oppidi dissensiones ullæ fuerunt, aut jurgia. Ruedam etiam paulo ante venerat, ubi copiosæ metendæ messi nonnullos adhibuit Socios, præter duos, qui hoc tempore assidue illum comitabantur. Adiit deinde Asturicam, Forum Egurrorum, et Ampudiam: ac denique anno sexagesimo sexto Harum, Flaviobrigam, et ad S. Crucem de Campezo profectus est. Dum Flaviobrigæ Clerum in spiritualibus exercebat, ipse quoque multis, variisque modis fuit exercitus: et cum Societatis rerum status in pejus quotidie rueret, solum vertere coactus est, Vallisoletumque rediit, ubi eum major laborum moles expectabat, ut aptissimum vitæ suæ adderet colophonem.

Octavum jam et septuagesimum ætatis agebat annum; vigiliis, et meditationibus, et studiis, et assiduis itineribus, immensisque laboribus attritus; nec non multorum obtrectionibus insectatus, et acerbis sui corporis doloribus afflictus; cum Catholici Regis jussu omnes, qui de Societate erant, acti
sunt

sunt in exilium. Summo mane ad eum ingressus est Emmanuel Ibarzabal, qui paucos ante annos adjunctus ei fuerat in socium cum Zubiauro, illumque admonuit, milite cinctum esse Collegium. Petrus ad eum nuntium nihil expavit, sed illico hymnum *Te Deum laudamus* inchoavit, quem simul cum socio ad finem usque perduxit. Venit deinde cum cæteris ad auscultandum exilii sui decretum, et factam a Prætorè manendi in Hispania potestatem ob ætatem ejus provectam, et notissima valetudinis incommoda, minime admisit; sed respondit intrepide, animam prius relicturum, quam fratres suos desereret. Vallisoletò digrediens, baculum secum eduxit, et imaginem Crucifixi: illum quidem, extenuato sustentando corpori, quod pelle tantum et ossibus constare videbatur; istam vero, ut animos sibi, suisque adderet Sociis, ad labores et ignominias constanter et alacriter perferendas. Cœpitque statim hortari omnes, ut præclaram patiendi occasionem, exhibendique constantiam inter adversa læti susciperent, et intenderent in Christum oculos, qui proposito sibi gaudio, sustinuit confusionem. Exque fuerunt præcipuæ muneris sui partes, dum vitam in exilio duxit, ut exulum animos in tantis ærumnis confirmaret. Multos etiam per Hispaniæ urbes consolari debuit, qui ad eam commoti calamitatem, turmatim accurrebant, flexisque genibus, et effusis lacrymis benedictionem ab ipso postulabant. Sed cum in ejus verbis et vultu lætitiæ suspicerent singularem, jam aliter et ipsi affecti, faustissimis eum acclamationibus excipiebant. Hac animi alacritate, sed pari corporis defatigatione Sanctanderum venit, ubi sex et viginti dies mansit in angusto illo Societatis Collegio, cujus et ambulacra, et puerorum Scholæ, et solarium ipsum, constipatis humi culcitis, occupanda fuerunt, ut cubandi locus esset tercentis sexaginta quinque Sociis, qui eo compulsi fuerant.

Consensus deinde navibus, nec laxius habitare licuit, et graviora subeunda fuerunt pericula. Reslantibus enim a terra vi magna ventis, Ferrolium, quo cursus erat, nonnisi post undenos ventum est dies, in quibus sævior Cantabrici oceani concitatio vectoribus, et nautis naufragii non semel incussit metum. Petrus in illo discrimine bono esse animo jubebat omnes, et fiduciam in eo, qui mari et ventis imperat, collo-

ca-

care: placuitque Deo cunctos in destinatum portum incolumes tandem adducere. Inde vero usque ad oram Etruriæ ultimam secundi aspirarunt venti, et pacatiora plerumque fuerunt maria: tamen alia, passim occurrebant incommoda, quæ novos quotidie animos ad sustinendum exigèrent. Petro Navarchus obtigit Bilbaensis cognomine Zubiria, vir probus, si quisquam alius, qui Sociis cum cæteris, tum Petro maxime, quem eximie reverebatur, sedulo studuit, quantum se penes esset, gratificari. Sed is exiguam regebat navem, quæ proinde opportunior erat molestissimæ jactationi. Eadem omnium totius classis erat tardissima, sæpeque trahenda fuit religato ad prætoriam fune, ne longius ab cæteris disjuncta, prædonum latrociniiis maneret exposita. Inde autem manifestum frangendi subiit periculum, quod, nisi recisa propere rudente, non effugisset: quanquam Præfectus classis imminentis adeo discriminis liberationem fertur Petri meritis assignasse. Huic inter omnes navigationis molestias, quæ multæ fuerunt et graves, nihil acerbius accidit, quam quod ad offerendam eccelestem Hostiam, vel certe sumendam (quod ei perraro licuit) in parvo illo, quo vehebatur, myoparone non esset opportunitas. Cujus doloris vim is tantum assequi possit, cui nota sit exquisita illa sollicitudo, quam suis in itineribus, et morbis adhibebat, ut divinum quotidie aut Sacrificium perageret, aut reciperet Sacramentum.

Centumcellis jam prope aberant, omnesque de proximo laborum fine invicem gratulabantur, cum egressus ex illo portu Hispaniensis Proconsul, navium Præfectis denuntiavit, Pontifici summo deliberatum esse intra suos fines exules non admittere: itaque redirent in Corsicam, nova ibi mandata Regis expectaturi. Non parum ea novitate commoti sunt aliqui, quorum mœrorem, ut levaret Petrus, multa opportune dixit, quibus afflictos animos ad constantiam et alacritatem erexit. Decima nona Junii e portu S. Stephani egressi, unde brevissimus est trajectus in Corsicam, inter disseminatas in eo freto insulas ultro citroque discurrentes, undecim hæserunt dies, donec superato tandem Corsico promontorio, trigesima die mensis Nebiensem intrarunt sinum, qui nomen obtinuit ab exciso Nebio prope oppidum S. Florentii. Eodem

dem jam præcesserant Toletani Patres, et Batichi, qui cognito Petri adventu, gavisī sunt valde, cum vix credere audent, tot annis et laboribus attrito potuisse vires sufficere, ut trajiceret in Italiam. Statim ad illius navem multi accurrerunt, quos humanissimus senex, suo quemque compellans nomine, benignissime amplectebatur: et incredibili exultabat gaudio, tot visis Sociis, qui eum, dum percurrebat Hispaniam, et liberaliter exceperant, et in suis egregie adjuverant ministeriis. Par item videndi, alloquendique Petri studium emicabat in ducibus, et classiariis, cæterisque nauticis, quorum alii aliis commemorabant, quæ præclare apud ipsos gesserat, dum sacris missionibus incumberebat. Petrus, ne quam officii partem quamvis difficilem prætermitteret, impositus cymbæ ad alias itare naves; eos, qui se inviserant, resalutare; omnesque dulcissimis verbis in ea temporum amaritie consolari. Et qui suam intra navem ægre in pedes consisteret, ad exequenda modo caritatis officia perdifficiles navium scalas adeo impigre conscendebat, ut juvenilem in eo ardorem crederes revixisse. Fuit hoc illi fere perpetuum, ut cum agenda esset Dei causa, vel proximi, corporis infirmitatem animi virtute superaret.

Calvium inde profectus est medio Julio, et in terram expositus cum Sociis facile septingentis, qui omnes in eo derelicti sunt litore, ut ubicunque demum possent, sibi quærent domicilium. Sedebat in acta Petrus, multo de se minus, quam de fratribus suis sollicitus, cum admonitus est, ut in Cœbium concederet Franciscanorum Patrum Observantium, qui prope litus habitant extra urbem. Decem admodum illam occupabant sedem, quam et ipsi non raro mutare coacti fuerant, invadentibus Cœnobium Corsis, qui contra Genuenses, legitimos ipsorum Dominos, ante annos triginta septem insurrexerant. Magna proinde rerum inopiā premebantur, cum sapius experti fuissent belli civilis incommoda. Sed pietate, ac misericordia divites, sua tecta (quod poterant) liberaliter exilibus obtulerunt, ut in eis ab injuriis cœli, quotquot possent, protegerentur. In pavimento templi, extracta inde sacra pyxide, ducenæ culcitæ sunt extentæ, in quibus Socii totidem recubuerunt, in eisque Petrus, quem deinde illi Religiosi Patres,

tres, ut mitiore in strato quiesceret, intra unam ex suis cellulis receperunt.

Non diu licuit ad S. Francisci consistere. Post quintum diem omnes intra modicæ, ac miserrimæ urbis angustias includendi fuerunt, ut rebellium incursibus, qui tumultuari jam incipiebant, minus essent expositi. Galli milites, qui præsidium illud tenebant, advenientibus Genua copiis, inde in Hispanorum navibus discesserunt. Corsi vero, quoniam induciarum tempus exierat, novo irruentes impetu, omnes ab insula in urbem aditus obsederunt. Franciscanorum Cœnobium occuparunt, et tormento bellico, quod opportuno in loco erexerant, portus ingressum nimis difficilem reddiderunt. Intra urbem, cujus pomerium horæ quadrante circumieris, nova tot colorum accessione, maximæ erant domiciliorum angustia, unde aliqui ad cavernas coacti sunt, et tuguria: magna etiam annonæ inopia, aquæ vero summa. Calvii enim, quippe in altissimæ rupis vertice constituti, nullus est puteus, fons itidem nullus. Cisterna tantum erat aquæ pluvialis, quæ militibus, et quibusdam indigenis certa cum mensura dispertiebatur: reliquis prodeundum erat ad fontem, qui sine magno discrimine, quod alibi descripsimus, adiri non poterat. Hinc Petri sollicitudo, ferventesque ad Deum preces, nequid mali contingeret variis Sociorum manipulis, qui aquam pro suis quique domibus allaturi, procedebant ad fontem. Cum primum tirones exhibant, quorum in domo manebat Petrus, ut eos in tanto laborum cumulo verbis et exemplis ad constantiam et virtutem omnem incenderet, statim ipse recurrebat ad orationem. Revertentibus veniebat obviam, scire quam primum gestiens, num salvi redirent cuncti. Deinde singulos alloquebatur, studioseque interrogabat, quid eis adversi, quid fausti evenisset? Postremoque Deo agebat gratias amplissimas, quod omnes inter volitantes militum glandes servasset immunes. Quibus illi ad iterandum hoc difficile quidem, sed præcipuæ caritatis officium promptiores efficiebantur.

Parem animi solitudinem in cæteris suorum, externorumque periculis exhibebat. Quoties aliqua domus missilibus impeteretur, vel incendiarius aliquis globus crepuisset in aere, subito illius viscera commovebantur, seduloque perquirebar,

num-

numquis occisus esset, aut læsus. Ac de Sociis quidem, quæ Dei fuit indulgentia, nullus in eo belli tumultu concidit, nullus vel tenui perstrictus est vulnere: quod Petro prædicandæ clementiæ divinæ magnum fuit argumentum. Sed cum audiret, vel propugnatores erumpere, vel irruere adversarios, et aliquos utrorumlibet cecidisse, incredibili dolore conficiebatur. Misericordem hujus viri animum, qui cum eo non degerit, is non ex facili fuerit assecutus. Aliorum labores dolebat ut suos, nullo habito discrimine personarum: quod si re quempiam sublevare non posset, votis certe ac prece non deerat. In suorum vero fratrum æruminis, præter exhibitum miserationis affectum, lacrymas etiam effudit, quibus et illorum dolebat vicem, et suam prodebat modestiam singularem. Dum stetit obsidio, ordinarius Sociorum victus oryza fuit, sale tantum et aqua condita, aut legumina verminosa cum porcinae mucidæ frustulo, panisque nauticus, quem descendentes e navi, partim beneficio ducum, partim soluto pretio obtinuerant. Et cum ad toleratas jam diu corporis et animi molestias novum hoc corrupti cibi incommodum accessisset, fere omnes arripuit diarrhœa, quæ nonnullos medentum ope destitutos exstinxit. Petrus in ea communi calamitate communi etiam uti victu desiderabat. Sed cum neque buccellatum frangere, neque illum cibum, debiliore jam stomacho, posset concoquere, alium si minus exquisitum, magis certe innoxium ab imperantibus jussus est sumere. Inde vero non semel ad fletum compulsus est, cum eadem ac cæteri lege vivere cuperet, neque ullum in se meritum dispiceret, ut mitius haberetur, quam alii.

Soluta demum obsidione, constitutaque rerum nostrarum disciplina, religionis ac literarum studium fervere cœpit, quantum in ea licuit temporum difficultate. In tirocinii domo, quam incolebat Petrus, præter legitimas spiritus exercitationes, aliæ non paucæ novendiales, vel triduanae fiebant preces, quibus dies multi sanctissime impendebantur. Ad hæc omnia inter primos accurrebat Petrus, submissisque perstabat genibus, donec a Superiore sedere juberetur. Eum tamen sæpe serioque affirmantem audisses, magno se rubore suffundi, dum in tironibus accensum hinc pietatis studium, innocuam inde læ-

titiam in tanta rerum paupertate considerabat. Nec vero illi modicum ad eam animi alacritatem ex Petri sermonibus, et operibus incitabantur. Cum multi eum audire cuperent, alias etiam adivit domos, ut paræneses haberet ad Socios. In eis hortabatur omnes, ut abjecta proprii commodi solitudine, ad portandam impositam crucem animos, et corpora confirmarent: sæpeque obortis lacrymis asserebat, nullum eos a Deo majus adhuc beneficium accepisse, quam exilium illud, tot tantisque laboribus, et ærumnis exaggeratum. Id eum diuturna docuerat experientia, solertem salvandorum hominum curam ab oppugnationibus, et laboribus immunem esse non posse. Simul vero didicerat animum in adversis rebus, quamvis illæ ultra modum excrescerent, non despondere.

Tam multi eum consilii et solatii causa conveniebant, non ex iis modo, qui erant Calvii, sed ex Bæticis quoque, qui Argaiolæ, et in suburbio Calviensi morabantur, ut a Superiore suo quæsierit, satiusne foret, tantam ad se venientium frequentiam excludere, diutiusque vacare meditationi, et scriptioni? Cui Rector: consultius equidem te facturum existimo, si neminem rejeceris advenientium, sed omnibus accessum dederis, et, quam a te expectant, consolationem ingesseris. Nil contra ea obstitit Petrus, perrexitque fratres suos perhumaniter excipere, et consolari. Ea tamen de causa literario, vel spirituali studio nihil adeo detraxit, ut octavo mense postquam venerat Calvium, in illa perturbatione rei publicæ, et egestate domesticæ, volumen jam confecisset quadringentis spissum paginis, in quo præclara de christianis officiis digesserat documenta. In his vero, quæ ad spiritum attinebant, præter varia illa exercitia, quæ domi suæ omnibus communia esse diximus, non pauca erant, quæ ipse privatim exequebatur, quorum etiam conscium volebat esse Superiorem. Ad eum quodam die cum accessisset, aliqua se habere dixit, quæ remotis arbitris cum ipso cuperet communicare. In vacuum digressi cubiculum, singuli singulos lectulos occuparunt; hæc enim sedilia erant Calvii. Tum Petrus vitæ suæ rationem reddere, orandi agendique modum exponere, omnes conscientia sinus expandere, postremoque rogare, ut sibi, quid in posterum sequi, quidve deberet fugere, simpliciter ediceretur.

Rector, qui dum puer esset, magno jam plausu concionantem Petrum audierat, lacrymas tenere non potuit, cum virum tam sublimi spiritu, et cana senectute venerabilem, quasi novitius esset, perinde consilium exposcentem audiret. Atque idem cum iis solitus erat efficere, quibus habuerat missionum socios, ut in rebus animi sui aliorum potius, quamvis juniores essent, prudentiæ inniteretur, quam suæ.

Galli, quorum in ditionem ex conventis cum Genuensi Republ. venerat Corsica, præsidia illa maritima, quæ paulo ante reliquerant, majori numero post decimum mensem iterum occuparunt. Inde novi belli formido, major annonæ caritas, habitationum angustiae maximæ, aliaque incommoda, quæ Petri animum ad aliorum miserationem passim exercebant. Ipse cum contubernalibus suis in aliam migrare domum coactus est, in qua dubium, nocturne, an interdiu gravioribus molestiis impeteretur. Per diem quippe milites ante illam domum tympanis, et lituis, aliisque bellicis instrumentis obstrepebant: quod homini commentandi, scribendique studiosissimo perincommodum necesse est accidisse. Præterea fumus in Petri cubiculum per fenestram, et rimosas pavimenti tabulas penetrabat, quoties femina Corsa, quæ subter ipsum habitabat, foculum extruebat. Hæc filium habebat parvulum, et ægrotum, quem ut sopiret vagientem, cantillando ducebat noctes, quiescentique Petro æque importuni erant feminae lalli, ac pueruli planctus. Eum tamen et labores matris, et filii dolores sæpe dolentem audisses; de molestiis vero, quæ inde sibi eveniebant, nullum unquam verbum. Multo illi fuit acerbius, cum dispersos uno die vidit nonaginta fere Socios, qui sub eodem manebant tecto, quorum aliqui ad vestibula, et stabula confugerunt. In his erant Theologiæ auditores, et Magistri, qui omnes in arctissimum, accessuque difficilem locum conveniebant, ut quaternas quotidie scholas haberent: indeque post coenam (nam idem coenaculum erat, et gymnasium) in varias discedebant domos, ut nocturnam caperent quietem. Ad eum locum, superatis non sine periculo male fidis scalis, Petrus quodam die venit, collaudataque omnium in ea dispersione concordia, juvenes ad perseverandum in studii contentione, cunctosque ad laborum patientiam est adhortatus. Vix finem

nem dicendi faciam, si percensere omnia velim, quæ Calvii universis Sociis ad exercendam constantiam, Petro vero ad misericordiam exhibendam occurrerunt.

Post menses demum quatuordecim Christianissimi Regis jussu Calvium non inviti relinquunt, et Gallicis imponuntur navibus, in Liguriæ litora transvehendi. Dato solvendi signo, RR. PP. Capuccini, qui montem prope Calvium incolunt, unde longus est in mare prospectus, ad templi atrium facto ordine processerunt: et eorum quidam, sacris indutus vestibus, cum accepta ex altari Hierotheca profecturis jam Sociis benedixit. Hi, cum præmoniti essent, in genua venerabundi procciderunt: et Petrus, qui singularem inde consolationem accipit, in illorum Patrum effusus est laudes, qui reliqua benevolentix signa tam egregia pietate cumulassent. Calvio digressi sunt decimo tertio Kal. Octobris, multisque in mari, et in Genuensi litore laboribus defatigati, Segestam in orientali Genuæ plaga post mensem denique appulerunt. Hic alii in alias domos sunt distributi: Petro cum comitibus suis nosocomii pars illa obtigit, in qua publicum exstructum erat theatrum, in eoque prope scenam ipsam constitutus illi fuit lectulus ad quiescendum. Inde, cum postridie salutandi ergo adessent multi, cuidam ex illis joculari sic placuit: Quid, putas, dicent Hispani, cum audierint, P. Petrum Calatayudium, qui tam acriter actiones comicas est insectatus, tandem in theatro solidam duxisse noctem? Hæc audiens, contraxit humeros, oculos cum manibus in cælum sustulit, demissoque capite divinam reveritus est providentiam, quæ in humanis rebus varie quidem, sed sanctissime ludit: deindeque ad inceptum sermonem placide rediit.

Quoniam Segesta in Æmiliam nec cisiis vehi poterat, quæ iter illud non patitur, neque item equo sine vitæ periculo manifesto; ut lectica defferretur, decretum est. Multis ille precibus, et lacrymis institit, ut eodem quo cæteri jure censetur, sed Præsidum jussis debuit tandem acquiescere. Cum deinde præcipites montium anfractus, vallesque aut rapidis torrentibus, aut cœnosis paludibus impeditas aspexit, non cessabat Deum, et Angelos deprecari, ut fratribus suis in frequentiori adeo, atque imminenti pereundi discrimine subvenirent. Neque

que irritas illius fuisse preces existimaverim, quandoquidem ex Sociis, qui magno simul incedebant numero, plerique equitandi non valde gnari, omnesque jumentis male instructis impositi, in eo quadridui itinere difficillimo nullus, ut timendum erat, interiit. Petrus Burgotari, quod primum est Parmensis Ducatus oppidum, propter effusos imbres substitit tribus diebus, in quibus quantum virium ex cessatione corpori accessit, tantumdem molestiarum humilis ejus animus ob exhibitum sibi honorem accepit. Leticarii enim, quos humanitate sua et mansuetudine, optimisque consiliis mire sibi devinxerat; cum observassent per viam assiduum ejus orandi studium, et accensos quos mittebat in cœlum affectus, aliaque passim edita virtutum exempla; Burgotarum ingressi, hominem sanctum sese importasse divulgaverunt. Hinc ad Petri hospitium et Prætor, et alii venerunt viri, qui verbis ejus, et venerabili aspectu capti, cum novo congressum iterandi desiderio discedebant. Multæ etiam feminae parvulos suos adduxerunt, ut eis bene precaretur: quod ille cum imagine Crucifixi reverenter, modesteque faciebat, addens etiam eorum matribus opportuna consilia. Atque ut sibi nihil, omnia illius gentis pietati attribueret, gaudere se aiebat, quod in his partibus tantum erga Sacerdotum benedictiones vigeret studium. Sed in eo populo de sanctitate Petri usque adeo invaluit opinio, ut micæ panis, qui eidem apponebatur, diætaris dissimulanter colligeret, in plurimos, qui solícite illas petebant, dispertiendas. Religiosæ quædam Virgines alium petierunt panem, quo animus alitur ad justitiam. Nec Petrus, cui concessam a Vicario facultatem exhibuerunt, earum votis annuere detrectavit. Itaque orationem habuit ad cunctas, deindeque singulis ad propositas de spiritu quæstiones respondit. Pari honore, ac veneratione cum alibi, tum maxime Regii fuit exceptus. Hic Episcopi Vicarius longas cum eo consultationes habuit, ejusque sanctitatem, et sapientiam ita suspexit, ut plenam audiendi confessiones, et concionandi potestatem illi fecerit, quam ibidem in Parthenone quodam rogatus exercuit: ac deinceps idem Vicarius de gravissimis rebus sæpe illum per literas consuluit.

Relicto Regio, tandem in ditionem Pontificiam advenit,
in

in cujus finibus non longe ab arce Urbana vicus est, quem incolæ Panzanum vocant. Ibi mansit cum aliis quatuor supra centum Sociis, qui omnes in Palatio habitarunt Excellentissimi Comitis Malvasiæ, Senatoris Bononiensis. Magna ibi inopia erat initio tum aliarum rerum omnium, tum maxime illarum, quæ tuendo ab ingruente hieme corpori, et sternendo lectulo requiruntur. Horum pleraque in itinere detenta fuerant, nec nisi tertio post mense remissa sunt. Petrus, cum multos noctu vel humi, vel in scamnis cubantes, interdumque male tectos videret, intime dolebat, et nihil non egit, ut quæ Superiores utenda sibi concesserant (erantque admodum pauca) divideret inter fratres. Cum deinde advenerunt impedimenta, novam dolendi occasionem, et exhibendæ constantiæ peridoneam habuit opportunitatem. Omnia enim scripta, quæ arculis, et bulgis inclusa fuerant, penitus sunt intercepta: et Petrus, cui permissum in Hispania fuerat exportare secum quæcunque mandasset chartis, multorum annorum lucubrationes uno die vidit amissas. Vicena erant volumina, in quibus tractatus multi, variæque literæ continebantur, vel ad commune reipub. Christianæ bonum, vel ad privatam eorum instructionem attinentes, quorum spiritum per epistolas dirigebat. Non pauca ille tentavit, ut ea recuperaret, quæ magno sibi labore, longisque vigiliis steterant. Sed cum tandem nihil proficeret, divinæ voluntati ita se subdidit, ut cum alio de amissis opusculis agens, cuncta se Deo jam immolasse confirmaverit. Cujus sacrificiî quantum sit pretium, literatorum hominum esto judicium, eorumque præsertim, quos divinæ gloriæ, et animarum zelus adurit.

Exeunte jam Septembri anni 1769 cum Theologiæ studiosis, cæterisque Sociis Panzano Bononiam venit, ubi post annos non multos, sed multa post virtutum exempla mortales relicturus erat exuvias. Inter assiduas, ac multiplices Apostolici muneris occupationes, atque adeo in maxima postremi hujus temporis perturbatione eundem in rebus animi sui tenorem vitæ observarat, quem posset in domestica tranquillitate retinere. Nunquam ei deerat tempus longæ meditationi, cæterisque adimplendis religiosi hominis exercitiis. Assuetus enim modico trium, quatuorve horarum somno, maturius e cubili surgebat,
nac-

nactusque antelucani silentii opportunitatem, devotioni suæ laxabat habenas, donec stata veniret hora celebrandi Sacrificii. Ex hoc tantum illi accedebat roboris, et solatii, propterea-que tantam ad illud peragendum solertiam adhibuit, ut in longissimo suarum peregrinationum discursu, quocunque noctu diverteret, solícite statim ageret de loco et tempore, in quo posset divinis operari postridie: idemque tenuit in variis itineribus exilii, præterquam in mari. Bononiæ lætitiis incessit omnibus, cum vidit erectas domi aliquot aras, in quarum una Christus Dominus jugiter residēbat, quem ipse frequenti adoratione venerabatur. Voluisset etiam suum ante lucem surgendi morem retinere, ut coram Deo et spiritu, et corpore quam primum prosterneretur. Sed Moderatores, debiliori suæ in dies valetudini consulentes, fervorem ejus ita temperarunt, ut lumen quidem citius illi, quam cæteris, inferri permiserint, surgendi tamen horam longe protraxerint. Sedens itaque super stratum, orationi vacabat, dum præstitutum ab eo desiliendi tempus accederet. Postremis vero annis, cum ne id quidem satis esset, ut ab rigida hiemis intemperie non læderetur, sum-umque nihilominus sacrificandi studium vellet explere; obtento Roma rescripto, intra sui muros cubiculi privatum Oratorium Præsides erexerunt, in quo suis votis minore cum incommodo satisfaceret. Hanc ille gratiam inter maximas censuit, eaque sic usus est, ut nullo unquam die rem divinam facere prætermiserit, antequam ultimo morbo corripereetur. Quotidie item animum homologesi repurgabat: si quando autem id ante sacrum efficere non potuisset, post illud certe faciebat, ne hujus careret fructu Sacramenti.

Quod ubique constanter secutus erat, ut in Collegia post sacras expeditiones, tanquam ex acie ad hiberna, regressus, communibus religiosæ vitæ exercitiis inter primos adesset, idem Bononiæ præstitit, dum sibi per Præpositos licuit. Eratque magno omnibus incitamento illum octogenario majorem intueri senem, singulas domesticæ disciplinæ functiones tanta constantia, pietateque obeuntem, quanta posset tiro exactissimus. Qui vitam assidue concionando duxerat, ad eas, quæ domi fiebant, adhortationes sic accedebat avide, ut siquæ propter tardio-rem auditum minus bene perciperet, ea deinde sibi peteret iterari:

ri: quod si hujusmodi exhortationibus ob graviores in valetudinem interesse non posset, enixe rogabat quendam, ut intento ipse adesset animo, omnia sibi deinde fideliter redditurus. Tantam, ut ex aliorum verbis proficeret, adhibebat industriam! Hinc etiam in cœnationem cum cæteris descendere vehementer optabat, ut consueta inter prandendum lectione animum quoque reficeret. Lautiusque sine dubio animo indulgebat suo, quam corpori. Sive enim in communi omnium mensa (quod illi propter loci difficultatem minus sæpe, quam vellet, permittebatur) sive in conclavi cibum sumeret, tenuis semper, ut alias inuimus, et vulgaris erat illius victus. Multoties apud Rectorem suum institit, ut servare jejunia sineretur, et quæ ab Ecclesia præcipiuntur, et quæ majorum pietas in mores induxerat Societatis. Et in extremo vitæ suæ tempore, cum attigerat quartum et octogesimum ætatis annum, literas ad provinciæ Præfectum dedit, quibus rogabat, ut liceret sibi tribus per hebdomadam diebus ita jejunium agere, ut panis tantum ofellas caperet, quod sine ullo valetudinis detrimento perficiendum a se fore sperabat. Id cum obtinere non posset, rursusque instare pergeret, ut saltem ab esu carnis abstinere permitteretur; illi tandem responsum est, ut vesci ovis posset interdum, eo tamen modo conditis, quo laicus vellet, qui eidem ministrabat. Is placentam ex ovis cum intrita carne, paucisque herbulis nonnunquam apponebat Petro, qui solitus in cibo non saporem quærere, sed corporis nutrimentum, de illato ferculo potius ex ovorum colore, quam ex adjunctis judicabat: ratusque votorum obtinuisse summam, super ea re nihil amplius impetrare contendit.

In ea, quam diximus, ingravescente jam ætate usque adeo erat cessationis impatiens, ut Bononiæ quotidie, ex constanti multorum observatione, legendis, scribendisque libris septenas circiter horas impenderet: et quo die postremus illum morbus invasit, post peracta religionis officia, totum mane dedit scriptioni. Nec Superioribus visum est Petri conatus in hac parte moderari: longa enim experientia didicerant, infirmiori ejus corpori sustinendo, in quo prævalidus erat humor hypochondriacus, perinde studii contentionem prodesse, atque agitatio marinis aquis, ne corrumpantur. Ejus autem studia in
cum

eum semper scopum collinearunt, ut homines, a peccandi licentia deterritos, ad virtutem, Deique amorem traduceret. Id perdius, et pernoxolvebat animo, id ubique privatim, et publice moliebatur: et cum annos fere quinquagenos huic operi urgendo magnis sudoribus impendisset, ut conatum juvandi omnes ultra vitæ fines extenderet, bonam librorum copiam evulgavit, et *per illam defunctus adhuc loquitur*. Scripsit enim, et publici juris fecit

De doctrina christiana tomos 3. in folio: quorum duo primi excusi sunt Valentia 1739. Tertius Lucronii 1754.

Magisterium fidei, et rationis. tom. 1. in folio, Hispali editum 1761.

Missionum tomos duos in 4. Primus de ratione agit Missiones obeundi. Alter orationes continet, quas ipse pronuntiabat. Matriti 1754.

Sacri amoris incendia. Murcia 1734. et alibi sæpe.

Catechismum Morialium. Valisoleti 1749. in 4.

Catechismum practicum: cujus nona editio facta est Vilægarsia 1764. in 8.

Meditationes super novissima hominis, et mysteria Christi D. ac Mariæ V. Cæsaraugustæ 1752.

Anatomiam moralem: in qua agitur de oratione mentali, et affectionibus hominis.

De emptione et venditione lanarum: de ludis chartarum, et aleæ, aliisque contractibus. Toleleti per Franciscum Martinum 1761. in 4.

Apophthegmata ex Prophetis, aliisque sacris libris excerpta. Murcia 1734.

Exercitia pro Sacerdotibus. tom. 1. in 4.

Judicium Sacerdotum: cujus ad calcem addita est *Instructio ad Illustrissimum quendam Episcopum*.

Compendium doctrinæ christianæ, a Joan. Petro Pinamontio confectum, et a Petro nostro Hispanice redditum, et in meliorem formam dispositum. Pompelone, Salmantica, Compostellæ, alibique recusum. Lusitanæ quoque conversum jussu Sereniss. Archiepiscopi Bracharensis 1743.

Regulas pro erigenda Congregatione SS. Cordis Jesu, itemque alias pro Schola Mariana.

De recta faciliq; ratione Confessionis generalis bene instituendæ. Typis Seminarii Villagarsiensis 1760.

Vitam Exell. D. Antonii Idiaquezii, Ducis Granatæ ad Egam.

Multa alia scripserat prælo digna, quorum pleraque in Parmensi amisit itinere, neque unquam reddita sibi fuerunt. Panzani quoque, ac Bononiæ, cum otiari nusquam posset, non pauca literis commendavit. Et quoniam in hoc erudito ad perniciem multorum seculo sanctissima religionis jura novis in dies ausibus videbat oppugnari, novos et ipse conatus adhibuit, ut eadem propugnaret. Itaque dissertationes aliquot de Sacra Scriptura, de libris prohibitis, de Romano Pontifice, de Bullæ, quam Cœnæ vocant, auctoritate, aliasque composuit, in quibus et doctrinæ suæ copiam, et ardens pro religione studium ostendit.

Eo contentiore animo ad impugnandam impietatem incubuit, quo propius accedebat ad vitæ finem, de quo nonnihil superne creditur agnovisse. Id, quamvis in occultandis Dei donis esset cautissimus, nonnulli ex quibusdam ejus verbis deprehenderunt. Cuidam negotium dederat, ut pro tribus compingendis libris totidem sibi membranas afferret. Satiùs, ait ille, mea quidem sententia fuerit, aliquanto plures emere, quibus alii etiam integantur libri, quos, opinor, scribes adhuc. Cui Petrus subito: *Nullo modo*, inquit: *his enim absolutis, non plura perscribam; quippe jam jamque dissolvitur hæc mei corporis coagmentatio*. Hæc autem cum diceret, nihil admodum erat, quod novam periculi suspicionem injiceret, præter consueta valetudinis incommoda, quæ ante annos plurimos patiebatur, neque illum segniorem unquam reddiderant ad laboris contentionem: eademque modo constantia per menses aliquot in studii assiduitate permansit. Observarunt tamen aliqui, relegendis ac limandis, quæ jam scripserat, tempus impendere: tantumque adnotationes aliquas denuo congerebat, quæ ascetico conficiendo operi videbantur opportuna. Quod cum is etiam animadvertisset, qui membranas paulo ante emerat, quæsit ab ipso, vellentne integumentum aliquod pro concinnando eo libro, postquam illum absolvisset? Petrus in eodem responso perstitit. Sed veritus fortasse, nequid a se curiosius inquiretur, illud deinde subjunxit: *Precare Deum, ut ea possim perficere, quæ præ manibus habeo*. Opusculum autem illud, superveniente postmodum morte, inabsolutum reliquit. Præterea in literis, quas ad provinciæ Præfectum dedit anno antequam ul-

timum ægrotaret, rogat eum in visceribus Jesu Christi, ut quidquid numum ex Superiorum consilio apud Curatorem domus deposuerat, sibi velit accipere, omninoque retinere. *Ego enim, ait, diu vivere non possum. Nec vero mihi expedit, adhuc habita plena licentia, muneribus ac donis uti: aptiusque ad animi pacem existimo, et ad meam indolem accommodatius, si ne teruntium quidem habeam, quod possim expendere.*

In hac humanarum rerum desipientia, et propinquæ mortis persuasionem tranquillam, sanctisque intextam operibus agebat vitam, cum Novembris die decima nona 1772, tardiorum inter scribendum dexteram sensit, ut lituras potius suffunderet, quam literas efformaret. Statim custodem Angelum invocavit, ad quem frequentissime recurrebat; cum singularem ejus opem tum aliis in rebus plurimis, tum etiam in studiis suis sæpe fuisset expertus. Hinc ad suorum codicum margines passim videre licet has notas, A. C. per quas novimus, eum significare voluisse *Angeles Custos*. Adeo erat in cœlesti comite salutando diligens, et industrius! Sed auxilium ejus in præsentem non sentiens, indubitanter sibi persuasit, de imminente periculo a Deo per Angelum admoneri: abruptoque studio, solita cum dissimulatione socio, qui aderat, dixit: *Quid ego scio, velitne Angelus, ut scribere non pergam?* Inde iustus est in lectum sese recipere, paucisque post horis ita illum paralysis occupavit, ut dexterum ejus latus ab humero ad extremum usque pedem omnino impediverit. Sic mansit tribus mensibus, et septem diebus, in quibus, cum dolores in dies crescerent, et ipse de potestate mentis nunquam exierit, in ferventi virtutum exercitatione, atque in Dei laude ad supremum usque spiritum perseveravit.

Patuit in primis ex hac ejus ægrotatione, quantum ab obedientiæ nutu in rebus etiam minimis dependeret. Cum sæpe nullius cibi esset appetens, rogabatur instanter, hocne, an illud edulii genus minus ingratis caperet. Ad quæ ille tantum: *Quod Superior injunxerit*, respondebat: appositamque deinde dapem, qualiscunque illa esset, sine ulla cunctatione admittebat. Parem insuper obedientiam erga Medicos exhibuit, eorumque ministros. Ab iis autem, quoties levandus, aut convertendus esset in lecto, quam maximam pudoris curam ha-

haberi desiderabat, eosque semper admonebat his verbis: *Cave, quaso, ne quid fiat minus modeste; filii enim sumus Ignatii*. Præterea, quanquam ex diuturno laborum usu corpus suum duraverat ad patientiam, tanta erat modo dolorum acerbitas, ut, cum loco dimovendus esset, moram aliquam peteret ad orandum: fassusque est, perinde se inter movendum excruciarī, quasi equuleo torquendus imponeretur. Neque ideo molestiam illam subire recusabat, sed in maxima doloris accessione, ad Deum ferventi, atque humili conversus animo, his eum verbis alloquebatur: *Amplius Domine, amplius: sed tu vires suffice, quæ mihi non suppetunt*. Multi erant anni, cum Deum omnibus rogabat precibus, ut quidquid pœnarum in purgatoriis ignibus infligendum sibi esset pro noxis, in hac potius vita repræsentaret, ut ne tantillum quidem ab jucundissimo illius conspectu retardaretur. Optatisque annuisse Deum, hanc ex ejusdem verbis capere possumus conjecturam. Quo die Viaticum ad æternitatem abiturus accepit, mortalitatis vinculis statim dissolvi, et esse cum Christo, vehementer cupere significavit. Sed mox, se ipse corrigens, adjecit: *Ait tamen Deus, hic adhuc superesse scoriā ad excoquendum*. Et suscepto Viatico, dies aliquot inter gravissimos dolores, et heroicis virtutum actus supervixit.

Erga illos, qui ægrotanti sibi ministrabant, et alios bene multos, qui de salute sua solliciti, frequenter illum invisabant, gratum adeo, atque humilem exhibuit animum, ut lacrymas excitaret. Nonnunquam ad effigiem Christi conversus, quam semper ad spondam habuit, magno cum affectu auditus est exclamare: *Cur pateris, Domine, ut in me, vilissimum utique mortalium omnium, tanta exerceatur humanitas? et ut hi servi tui, mei que fratres tantum pro me laboris assumant?* Cum Sacerdotes magno semper in honore habuisset, ab iis modo, ad salutandum eum ingressis, sæpe benedictionem postulabat. Hærebant aliqui ad venerabilis senis humillimam petitionem: alique in lacrymas effusi, ab illo potius benedicendos se esse contendebant. Quod cum Petrus facturum promitteret, si prius ipsi facerent, quæ petierat; multi illius annuebant votis, ut a viro Dei jam jam e vita decessuro faustam et ipsi precationem obtinerent.

Sed pietatem suam nulla in re magis ostendit, quam in divinis percipiendis mysteriis. Tres amplius menses inter dolores decumbens acutissimos, Missæ sacrificium unico tantum die non auscultavit. Confessionem semel quotidie, nonnunquam bis intra diem instituit. Ut primum vis morbi ejus innotuit, Rectorem suum oravit suppliciter, ut singulis diebus divinam sibi concederet Eucharistiam: ab eaque in longo illo temporis spatio ter solum, aut quater abstinuit. Sed inde novus insurrexit labor, quo Deus illum singulari quodam modo exerceri frequenter permisit. Sæpe post mediam noctem, cum somno satis bene, pro more suo, jam indulisset, et pervigil, sui que omnino esset potens, quosdam videre sibi videbatur, qui admotis ori cochlearibus, varios ei linctus, potionesque dulciculas offerebant, ut melius sibi esset, et quietem caperet placidiorem. Obnitebatur ille contra, obtrudentesque ecligmata et manu repellebat, et verbis, ne sacram sibi communionem impedirent. Et qui erat in detegendis, ac dissolvendis Diaboli laqueis peritissimus, cum esset pariter sibi nihil præfidens, rem omnem humiliter aperiendam censuit, ut alterius consilio duceretur: quanquam ipsemet viam indicabat, qua nulla tutior esse posset ad evadendum. Quadam nocte cum graviolem habuisset conflictum, cubiculi januæ ac fenestris affigi jussit schedulas, S. Ignatii nomine inscriptas, quibus adversus præstigias lemurum vim magnam inesse, compertum est: placuitque Deo, ut decem circiter dies, quos vixit post receptam unctionem sacram, liber omnino esset a nocturna illa colluctatione.

Februarius jam incesserat, et quotidie viribus deficiebatur, cum statuit Medicus, ut sacrosancto Viatico reficeretur. Id cum audisset, continere se non potuit, quin exclamaret statim: *Hæc dies, quam fecit Dominus: exultemus, et lætemur in ea*. Confessionem præmisit generalem, quod et alias in ea infirmitate jam fecerat, et quotannis, dum recedebat ad S. Ignatii exercitia, solitus fuerat efficere. Inde autem certum, testatumque habemus, quam acceperat in secunda origine stolam gratiæ nulla gravi macula contaminasse. Ubi divinum allatum est Sacramentum, caput denudari sibi jussit, adoradoque suppliciter Domino, constanti et integra voce (quasi
no-

novas ex vitæ præsentia vires hausisset) colloquium exorsus est satis longum. In eo, postquam veniam a Deo petiit vitæ suæ, nimium remisse tepideque peractæ, desiderium testatus est, quo flagrabat, amandi illum cum omnibus, pro omnibus, et super omnes, videndique quantocyus Sanctissimam Triadem, et Virginem Beatissimam. Quod si placeret ei diutius se in hoc misero exilio retinere, corpus et animum sponte, atque omnino pœnis ac doloribus quibuscunque pro honore sui Nominis, et proximorum incolumitate devovebat. Labores etiam commemoravit, quos pro suo amore subierat; tenues illos quidem et exiguos, sed prompto libentique animo pro ipsius gloria susceptos. Inter alia gratias Deo egit singulares pro obedientiæ spiritu, quem sibi erga majores indiderat: eamque obediendi alacritatem ut in omnes S. Ignatii filios effunderet, precatus est. Illos vero, qui exilio multati fuerant, tenerrimo quodam affectu Domino commendavit, ut in patria cœlesti cives aliquando conscriberentur. Preces deinde fudit pro Pontifice Maximo, et Rege Catholico, quod sæpe alias factitare consueverat. Persolutisque gratis Angelo tutelari pro illius erga se meritis singularibus, orationem his verbis absolvit: *Veni Domine. Atque utinam indignum pectus meum ingressus, tecum me raperes in conspectum Triadis Beatissimæ, ac dulcissimæ tuæ Matris! Veni, et noli tardare: relaxa facinora cordis mei.* Hæc omnia ferventer adeo pieque dixit, ut domestici, et qui foris advenerant, lacrymas continere non potuerint.

Cum sacram sumpsisset Hostiam, extremam unctionem petiit, et animæ commendationem, quæ temporari administratæ fuerunt; ut etiam peccatorum Indulgentiæ, quarum erat studiosissimus, semperque verbis ac factis ostenderat, quanto illæ ab omnibus habendæ sint in pretio. Quos deinde dies vixit, contemplandis divinis perfectionibus, æternisque gaudiis appetendis insumpsit: multaque proferebat e sacris literis, quibus et desiderium summi Boni, et spem obtinendi ejus significabat. Custodem Angelum, et illos e Beatorum numero, quos vitæ Patronos habuerat, ut auxilium in morte ferrent, magna fiducia deprecabatur. Sed ante omnes Reginam Sanctorum omnium, cujus imaginem sub titulo de Columna prope

pe caput usque ad mortem retinuit, frequentibus et suavissimis colloquiis invocabat. Paucis ante obitum horis patrocinium dulcissimæ Matris non modo sibi, sed cunctis etiam peccatoribus imploravit adeo ferventi deprecatione, ut adstantibus mirum esset, qui animam jam agebat, tantum inesse spiritus et vigoris. Sæpe ad Christum conversus, pretiosissima illius adorabat vulnera, et in ejus sanctissimo Corde, tanquam in tutissimo asylo, requiescebat. Inter hæc advenit illi dies ultimus, qui fuit III Kalendas Martias anni MDCCLXXIII. Eo die cum Sacrum audisset, conscientiam confessione purgasset, et altaris Sacramentum percepisset, ardentioribus incensus votis amplexandi dilectum suum, post quartam horam pomeridianam, his verbis tertio repetitis: *Beatissima Trinitas, desidero te videre*, animam placidissime reddidit Creatori. Et qui toties in concionibus suis de felici justorum morte, oculis fletu madidis jucundissimo, et corde mira superfuso dulcedine disseruerat, eam ipsemet suavem expertus est, et tranquillam.

Exanime illius corpus, quod non ante duas et quinquaginta horas mandatum est terræ, flexibile semper mansit. In ejus vultu tantus emicabat decor et gratia, ut omnium ad se oculos raperet, multique se invicem truderent, ut eum cominus intuerentur. Vulgata ejus morte, plurimi ex variis provinciis Socii, qui Bononiæ commorabantur, certatim ad venerandum Petri cadaver accurrerunt. Multi manus ejus et pedes exosculati, verbis et lacrymis ostendebant, quantum ex desiderio tanti viri commoverentur: alii numismata, et coronas sacras illius ori ac manibus applicabant: alii capillos, et ungues ei præciderunt: omnesque aliquid eorum, quæ reliquerat, magna contentione deposcebant. Eandem sollicitudinem exhibuerunt non modo alii per Italiam sparsi Socii, sed multi etiam viri, ac feminæ diversorum ordinum et conditionum. In his fuit Illuttriss. D. Franciscus Columbanus, Episcopus Britonoriensis, qui cognita Petri morte, nonnihil habere voluit de reliquiis ejus, quem ab eo tempore, cum illum Bononiæ noverat, tanquam virum sanctitate præstantem venerabatur. Kalendis Martiis in templo Divi Nicolai, quod impositum est viæ S. Felicis, communi omnium Sociorum lectu, et multiplici Sacrorum oblatione parentatum est Petro, qui

annos vixerat tres et octoginta, menses sex, dies viginti septem. Venerabiles ejus exuviae, intra arcam inclusae ligneae, sub vesperum ejusdem diei decenti pompa delatae sunt in domum S. Ignatii, quae tum Societatis erat tirocinium, et in sepulcreti Sociorum loculo reconditae. In extimo loculi pariete breve quoddam epitaphium fuit inscriptum, quod paucis depositi rationem exhibet: intra arcam vero aliud repositum est elogium, tubulo insertum duplici, altero vitreo, altero ex ferri lamina, quod in hujus vitae calce subijciam.

Hæc summa rerum est, quas gessit Petrus Calatayudius, desumpta ex ejus Vita, quam latius scripsit vir præstantissimus Franciscus Xaverius Idiaquezius. In ea quidem haud pauca dicta sunt, quae sanctitatem ejus, et singulare meritum ostendunt: multo tamen plura dicenda supererant tum de diuturno suo et mirabili Apostolatu, tum maxime de illius præclaris, heroicisque virtutibus: quibus id assecutus est, ut ab suis pariter, et ab alienis cum magno illo Indiarum Apostolo, S. Francisco Xaverio, populari suo, comparari meruerit ob ardentes, quibus æstuabat, amoris divini flammæ, ob indefessam salvandi homines sollicitudinem, ob Apostolicam paupertatem, et animi demissionem, ob suam in periculis fiduciam, in adversis constantiam et fortitudinem, ob sapientiam et celestia lumina, ob alia denique dona vere divina, quibus Deus illius animum ad sui gloriam, et innumerabilium salutem hominum exornavit. De his multa in commentarios suos retulerat fidelissimus ejus socius Joannes Carbajosa, quae omnia, ut diximus, in Hispania relinquenda fuerunt. Quod si hæc aliquando recuperare liceat, locupletior de Petri rebus gestis historia poterit efformari. Ego compendium hoc aptissimo fine confecerim, si Petri elogium adjunxero, quod illi post obitum texuit Josephus Petiscus, qui ejus vitae seriem et laudes paucis brevibusque lineis, tanquam in nuce Iliadem, clausit.

D. O. M.

P. PETRO. DE. CALATAYVD. E. SOC. JESV
 GENTE. NAVARRO. EX. CIVITATE. TAFALLA
 VIRO. APOSTOLICO
 AD. MAJOREM. DEI. GLORIAM. PROPAGANDAM
 SUPERIORE. SECVLO. NATO
 VERBI. DIVINI. VBIQVE. DISSEMINANDI
 TVM. VOCE. TVM. SCRIPTIS
 INDEFESSO. ADMINISTRO
 QVI. AB. INEVNTE. ADOLESCENTIA
 OMNIA. SVA. STVDIA
 IN. SALVTEM. ANIMARVM. PROCVRANDAM
 CONTVLIT
 TEMPORE. MAGISTERII. QVOD. SVMMA. CVM. LAVDE
 ET. EXCELLENTIS. INGENII. SINGVLARI. OPINIONE
 OBIVIT
 QVOTANNIS. EXPEDITIONIBVS. SACRIS
 QVADRAGINTA. MINIMVM. DIERVM. SPATIO
 VACARE. CÆPIT
 QVIBVS. DEINCEPS. PERPETVO. TOTVS. INCVMBENS
 HISPANIAS. AC. LVSITANIAM. FERE. VNIVERSAS
 IPSOS. QVADRAGINTA. OCTO. ANNOS
 MIRIFICO. FRVCTV. PERAGRAVIT
 PLVRIMIS. PRODIGIIS. EJVS. MISSIONE. DIVINITVS
 CONFIRMATA
 INDIAS. QVAS. IN. VOTIS. HABVIT. NEC. OBTINVIT
 ATQVE. ADEO. VTRVMQVE. ORBEM
 LIBRIS. EDITIS. ILLVSTRAVIT
 GRAVES. PERDITISSIMORVM. HOMINVM. INIMICITIAS
 PRO. RELIGIONE. SVSCEPIT
 IN. REBVS. PROSPERIS. ET. ADVERSIS
 ÆQVE. IMPERTVRBATVS
 HISPANIA. DEMVM. INFIRMITATE. ATQVE
 INCOMMODIS
 INGRAVESCENTIS. ÆTATIS. PENE. CONFECTVS
 CVM. OFFICIOSE. RETINERETVR

EXVL. VOLVNTARIVS. DISCESSIT
POST. INGENTES. LABORES. TERRA. MARIQVE
POST. DOLORES. ACERBISSIMOS. IN. EXTREMO. MORBO
INVICTA. PATIENTIA. TOLERATOS
CŒLESTEM. PATRIAM. VNICE. APPETENS
CORDE. IN. AFFECTVS. ET. VOCES
ARDENTISSIMÆ. CARITATIS. EFFVSO
PROSCRIPTÆ. SOCIETATIS. HISPANIENSIS
ANNO. SEXTO
AB. IPSO. INITÆ. SEXAGESIMO. TERTIO
PROFESSIONIS. QVATVOR. VOTORVM
QVADRAGESIMO. SEXTO
ÆTATIS. OCTOGESIMO. QVARTO
ÆTERNVM. VICTVRVS. IN. PACE. DECESSIT
DIE. VIGESIMA. SEPTIMA. FEBRVARI
ANNO. DOMINI. MDCCLXXIII
MAGNO. SVI. DESIDERIO. VIRTVTVMQVE. OMNIVM
OBEDIENTIÆ. PRÆERTIM. VSQVE. AD. MORTEM
RARO. EXEMPLO. RELICTO
OPTIMO. SENI. MAGISTRORVM. ANTIQVISSIMO
EVANGELII. PRÆCONVM. ÆTATIS. NOSTRÆ
FACILE. PRINCIPI
QVI. PVBLICE. PRIVATIMQVE. DOCEBAT
TANQVAM. POTESTATEM. HABENS
FAMA. SANCTITATIS. ET. DOCTRINÆ
APVD. HOMINES. MAGNO
RE. IPSA. MAXIMO
SVPERIS. MORTALIBVSQVE. GRATISSIMO
PATRES. CASTELLANI. SOC. JESV
BENEMERENTI

P. P.

I N D E X

R E R U M N O T A B I L I U M.

- A**barizqueta (Joannes) Batue-
corum gentem suscipit excolen-
dam . Pag. 291
- Abulæ quædam mulier mirabili mo-
do ad pœnitentiam adducitur . p.
342. in Cœnobiis Virginum sa-
cræ commentationes habentur .
ibid. In urbe Schola Mariana ape-
ritur . ibid. Statua erigitur B. V.
de Columna . p. 343. Socius qui-
dam sanctitatem P. Calatayudii
evidentius agnoscit . ibid.
- Abulenses Socii , dum iter in portum
arripiunt , multis exercentur in-
commodis . 221. seq.
- Admonitiones ingerendi cum fructu
ratio quædam opportunissima . 197
- Adolescentium aliquot pro peten-
da Societate , vel eadem retinen-
da , laudabiles conatus . 116. 117
139. 233. 253.
- Adversa quælibet pro Christo tole-
randi desiderium . 34
- Aegerrimo corpori vires addit fer-
vor spiritus . 304
- Aegritudine quidam affectus , alte-
rius non solum verbis , sed vul-
tus etiam hilaritate recreatur . 255
- Aequabilitas animi vel inter ludibria
non amissa . 240
- Albercæ arescentibus agris pluvia im-
petratur flagellatione supplican-
tium . 292
- Almansa (Josepha) insignis pietate
femina , in duplici adverso casu
per duplicem futuri prædictionem
ab ægitudine liberatur . 317. 318
- Almeriæ magno cum fructu erigi-
tur Schola Christi . 317
- Alonenses cives avidissimis animis ,
et auribus Dei verbum excipi-
unt . 220. seq.
- Alvaradus (Franciscus) nobilem S.
Bartholomæi fasciam cum Socie-
tatis veste commutat . p. 169.
Ejus in dirigendis ad cœlum ani-
mis dexteritas . ibid.
- Angeli vias expediunt , quas ingre-
diuntur , qui ad audiendum Dei
verbum accedunt . 320
- Animi ad conspectum mortis imper-
turbata serenitas . 275
- Animi rebus diligenter prospicere
plurimum juvat ad temporalia ne-
gotia feliciter expedienda . 180
- Animus ad honestam occupationem
intentus , facilius declinat vi-
tia . 40. 169
- Animus inter injurias temperantis-
simus . 176. seq. 316
- Annoa (Franciscus) Cæsaraugustæ
Antistes , multam Petro Calata-
yudio exhibet venerationem . 334
- Apophthegma cujusdam rustici . 292
- Ariditatis tempore præhabiti sola-
tii anima meminisse non solet . 215
- Assiduitas in pœnitentium confessio-
nibus excipiendis . 195
- Assiduitatis ad literas , et pietatem
exem-

exemplum. 361
 Astudillum profecti Novitii, quid in
 eo itinere sint passi. p. 241. Be-
 nigne ab incolis excipiuntur. 242
 Astures variis in locis egregiæ piete-
 tis perhibent documenta. 322
 Avaritiæ sordes Sacerdotem maxi-
 me dedecent. 23
 Ayamontii abundantes divinæ gratiæ
 fructus proveniunt. 449
 Azpeithiæ domus erigitur, quæ No-
 socomium simul esset, ac Bre-
 photrophium. 204

Batuecorum regio describitur. 291
 Bæticorum animi ad religionis ope-
 ra propensi. 346
 ad Bene moriendum quænam præ cæ-
 teris conferant adjumenta. 159. 165
 Blanditiæ domesticorum perniciosæ
 sunt religiosis. 250. 252
 Borgia (S. Franciscus) a novitiis So-
 cietatis commeatum virtutum ad
 reliquam vitam in tirocinio com-
 parari volebat. 172
 Bracharæ ad prædicationem divini
 verbi magna fit morum conver-
 sio. 324. seq.
 Brignola (Helena) in Genuensium
 portu, Socios allocutura, ad na-
 ves accedit. 127
 Burgenses cives humanissime Novi-
 tios excipiunt. 248
 Burgensis Archiepiscopus Novitios
 duos, qui eum adierant, primum
 suspectos habet, deinde cum ho-
 nore, ac donis dimittit. 244. 245
 Borgotari, ac Regii magno cum
 honore excipitur P. Calatayu-
 dius. 364
 Bustamantius (Andreas) Episcopus
 Palentinus Francisci Atelæ opera
 utitur, ad erudiendos in spiritu
 Sacerdotii candidatos. 8

Cæsaraugustæ populus, fracto Ca-
 latayudii subsellio, inter se divi-
 dunt schidia. 334
 Cæsaraugustani Doctores sententiam
 Petri Calatayudii suo iudicio con-
 firmant. 333
 Calamitates in magnis Dei donis
 computandæ. 361
 Calagurritano Clero per exercitia S.
 Ignatii novus ad virtutem arder
 injicitur, ex quo populus etiam
 incalescit. 332. seq.
 Calvii, dum tirones aquam e fonte
 petunt, cujusdam hydria ænea
 glande confringitur. 256
 Capuccinorum Patrum pietas in So-
 cios Calvio abeuntes. 363
 Carbajosa (Joannes) insignis Do-
 minici agri per annos plurimos
 operarius. 304. seq.
 Carthagine ad triremes damnati sa-
 cris ministeriis excoluntur. 314
 Caritatis officiis adimplendis vires ad-
 dit animus infirmo corpori. 358
 Castimoniæ candor insignis. 50. 63
 167. 225. 285. seq.
 Christi patientis contemplatio ingen-
 tes animos addit ad tolerandum
 adversa. 138. 152
 Christus adolescenti cuidam pecca-
 ta sua mirabiliter indicat, et ad
 poenitendum hortatur. 292. seq.
 Christus sub Hortulani specie sese
 videndum exhibet, ut quendam
 ad perfectionis studium accen-
 dat. 216
 Cibi notabilis parsimonia. 27. 75. 90
 91. 367.
 Collegia, quæ apud Hispanos ma-
 jora dicebantur, magno olim e-
 rant in pretio. 224
 Columbanus (Franciscus) Episcopus
 Britonoriensis de Petro Calata-
 yu. b b b 2

yudio honorifice sentit. 374
 Comes Irensensis pietatem in Deum,
 in egenos exhibet largitatem. 305
 Compluti juvenis quidam miseran-
 da nece conficitur. 286
 Compostellæ Matronarum coetus e-
 rigitur, ad inserviendum ægrotan-
 tibus feminis. 306
 Confessarii ope mali Dæmonis ar-
 tes facile superantur. 11
 Constantia in sigilli religione tuen-
 da. 33
 Cor JESU religiosa colendi ratio.
 p. 122. 187. 228. In ejusdem pro-
 movendo cultu sollicitudo. 197
 315. 322. 337.
 Coronam spineam Christus cuidam
 exhibet, et imponit. 215
 Corporis atterendi artes variæ, et
 ingeniosæ. 27. 57. 64. 90. 168
 230. 260. 287.
 Corralius (Josephus) in defenden-
 da Societatis causa Victoriensi
 strenue laborat. 101
 Corripiendi optima ratio. 77
 Corsica, prima Sociorum exulum
 sedes, durissimo afflicta bello ci-
 vili. 95
 Corsorum duces Sociorum exulum
 sortem commiserantur. 256
 Corunnæ puerorum exemplo inci-
 tantur viri ad laudes Mariæ V.
 publice decantandas. 306
 Cosius (Isidorus) Episcopus Val-
 lisoletanus sacris interest com-
 mentationibus cum laude P. Ca-
 latayudii. 354
 Cultus erga B. Virginem multimo-
 dis exhibitus. 28. 29. 30. 58. 68
 163. 229. 265.
 Culpis etiam levioribus evitandis stu-
 dium simul, et medicina. 257
 Custodem Angelum venerandi usus
 frequentissimus. 370

Dæmonum larvis, et insectatio-
 nibus superandis quænam arma
 sint adhibenda. 205
 Deliberandi prudentissima ratio. 162
 Denuntiatione propinquæ mortis au-
 dita, cujusdam exultat animus. 372
 Desiderium summi Boni, ejusque
 obtinendi fiducia in supremis ho-
 ris acuenda. 373
 Devæ femina quædam mortis ge-
 nus incurrit, quod sibi fuerat præ-
 nuntiatum. 199
 Devexa in ætate vigor ad literas
 juvenilis. 367
 Deus, concessa valetudine, promp-
 tum ad labores animum remune-
 ratur. 151. 152
 Diabolus piam feminam miris mo-
 dis excruciat. 10
 Diocesis Bracharensis uberem ex præ-
 dicatione fructum producit. 327
 Divina percipiendi mysteria perquam
 diligens cura. 372
 Dissidia inter Secanos, et Naven-
 ses sacra missione tolluntur. 355
 Dolor acris ob admissa peccata vel
 corpus ipsum debilitat. 307
 Dolorum Christi participem fuisse,
 optima est ad novas consolatio-
 nes præparatio. 216
 Domestica exempla vim habent ma-
 ximam ad persuadendum. 284
 in Donis recusandis invicta cons-
 tantia. 89
 Dulce ac decorum est pro Deo in
 adversa incurrisse. 157
 Dutarius (Hieronymus) magno reip.
 christianæ bono Scholam Maria-
 nam aperit. 7

Equites Azcoithienses, sacris com-
 mentationibus exercendi, Lejo-
 lam

lam omnes una conveniunt . 202
 Eucharistiam adorandi vel suscipien-
 di sollicitum studium . 56. 60. 92
 168. 181. 183. 184. 206. 220. 262
 366.

Excerpendi usus inter legendum plu-
 rimi refert in futurum . 288

Exempla constantiae, quam in re-
 tinenda religione tirones aliqui
 coram iudicibus exhibuerunt . Vil-
 laegarsiae : p. 138. Turrecremata :
 a p. 142. Palentiae : p. 147. 150.
 Burgis : a p. 245. Sanctanderi :
 p. 116. 153. 254. Vallisoleti a p.
 170.

Exempla divinae misericordiae in con-
 versione quorundam ad saniora
 consilia. Vallisoleti . p. 179. seqq.
 Lojolae . p. 203. Corunniae . p.
 306. Tafallae . p. 310. Victoriae .
 p. 311. seq. Almeriae . p. 318
 319. Bracharæ . p. 325. Prove-
 sende . p. 332.

Exempla divinae severitatis in eos,
 qui Dei verbum audire negligebant .
 p. 293. item Lucronii . p.
 311. Lorcae . p. 314. Arevali .
 p. 343. Villamorii . 351. 352
 Exercitia S. Ignatii nonnulli ægre
 suscipiunt , et ab iisdem ægrius
 discedunt . 323

Familialem sermonem ad aliorum
 bonum flectendi dexteritas , et
 fructus . 289

Feijous (Benedictus) de Petro Cala-
 tayudio non semel cum laude ,
 de se vero cum animi demissione
 loquitur . 294. 295. 321. 322. 353

Femina , cui mors subita prædicta
 fuerat , synaxin frequentat , ne
 decedat imparata . 199

Ferrerius (Joannes Baptista) Lu-
 b b b 3

censium Episcopus Petrum Cala-
 tayudium advocat , ut sibi in ex-
 tremis adsit . 329

Fidei dogmatum propugnatores non
 solum sacra doctrina præsent ,
 sed artem quoque impugnandi cal-
 leant , oportet . 270

Fiducia obtinendæ salutis quibus
 potissimum causis recte innita-
 tur . 158

Filii ad Matrem oratio , ut vocan-
 tem Deum sequi se sinat . 134

Flavionaviæ Episcopus Novitios et
 prudenter admonet , et liberali-
 ter tractat . 153

Franciscani Patres exulibus Sociis
 sua tecta liberaliter exhibent Cal-
 vii . 358

Franciscus Cardinalis de Solis Pe-
 trum Calatayudium Hispalim vo-
 cat . 344

Frequens divinatorum usus et robor
 ad labores sustinendos , et lumen
 ad eos prævidendos subminis-
 trat . 206

Gegione Virgines Augustinianæ
 pietatem exhibent erga Socios . 94

Generosus miles de seipso laudabi-
 liter triumphat . 308

Genuenses Soc. Jesu Patres ægro-
 tantes Hispanos Socios in Asce-
 terio suo recipiunt . p. 208. Ge-
 nuensium tironum ad inservien-
 dum ægrotis gnava sedulitas . ibid.

Gonzaga (S. Aloysius) clientis sui
 preces exaudit . 171. seq.

Grati animi pro adepto religiosæ vi-
 tæ statu significatio . 287

Gutierri (Melchioris Angeli) Epis-
 copi Pompelonensis prudentia . p.
 307. Religio . p. 308. Humili-
 tas . 309

H

Hispalensis diocesis et Clerus ,
et populus ad meliora traduci-
tur . 346
Hispaniæ Proceres magno cum fruc-
tu S. Ignatii peragunt exerci-
tia . 338
Hoyus (Bernardus) eximie juvenis
innocentiæ Cordis Jesu cultum
promovet in Hispania . 315
Hominem , dum ad meretricem per-
git , canis invadit , visoque si-
mul Petro Calatayudio , sceleris
pœnitentia ducitur . 332
Hominis perditissimi admirabilis con-
versio . 319. seq.
Hospitalitatis meritum portento
confirmatum . 305
Humanæ gloriæ appetitui superan-
do rationes quædam opportunis-
simæ . 257. 258
Humanarum rerum generosa con-
temptio . 224 seq. 338. 341
Humilitatis notabilia quædam , ex-
empla . p. 51. 52. 67. 68. 173
178. 179. 192. 231. 232. 290
333. 360. 371

Imagines , quæ menti obversantur
interdiu , eadem recurrunt in
somnia . 220
Imminentem mortem Deus cuidam
per visum ostendit . 263. seq.
Index librorum , quos edidit P. Ca-
latayudius . 368
Industriæ pro divini Nominis ho-
nore tuendo . 300. Pro tollendis
inimicitiiis . 301. Pro desidiosis ,
ac durioribus animis expugnan-
dis . 301. 302
Infirma corporis valetudo justis est
fodina virtutum . 268
Innocentis vitæ exempla quædam

non vulgaria . 75. 111. 125. 169
201. 213. 234 seq. 372
Intentionis rectissimæ votum singu-
lare . 21
Inter animi angustias prolixius oran-
dum . 298
Josephus Portugalliæ Princeps , Ar-
chiepiscopus Bracharensis , ad se
advenientes e Castella Socios li-
benter ac liberaliter excipit . 324.
331. Eosdem ægre dimittit . 329.
Ovium suarum ulceribus lingua sua
medetur . 326. In custodia deten-
tos manu sua pascit . ibid. Nomen
suum dat Congregationi Cordis
Jesu . ibid.
Iter agendi modus religiosissimus .
296. seq.

Labor in discendo præproperus
mentis aciem potius hebetat ,
quam exacuat . 42
Labores magni plerumque ignavos
frangunt ; magnanimis robur ad-
jiciunt . 279
Lacrymarum donum ob studium hu-
militatis recusatum . 173
Legum observandarum exacta dili-
gentia . 228
Literarium studium quali sit inten-
tione suscipiendum . 175
Lojola (Joannes) in promovendis
ad perfectionem hominibus per-
quam industrius . 169. seq.
Loriciana civitas prima est in His-
panis ad erigendam Cordis Jesu
Congregationem . 315
Ludovicus Cardinalis Borbonius Ma-
tritensium saluti prospicit , misso
ad eos Petro Calatayudio . 336
Eidem pro susceptis laboribus gra-
tias agit . 337
Lusitana gens ad pietatem propen-
sa .

sa. 328
Luzuriaga (Ferdinandus) in obsequio tabidorum contracta lue moritur Sebastianopoli. 285

Manriqueius (Joannes Franciscus) pro construendo Victoriensi Collegio domum suam legat, et vegetigal assignat. 100
Mansuetudinis præclarum exemplum. 39
Mater, quæ conceptam prolem devotam Deo desiderabat, voti compos effecta. 71
Matris egregium facinus, ut filium denuo immolet Deo. 117
Matriti ad duo millia ex ordine Sacerdotali sacris incumbunt meditationibus. 337. Eorum plurimi custodias invisunt, ciboque lautiore reficiunt. ibid.
Matrona quædam ad sanitatem mentis redit ex P. Calatayudii verbis, per internuntium missis. 350. 351
Mendacium, vel in puerili ætate, cavendi diligentia. 111
Menstruus ad repurgandum animum secessus. 93. 189
Miles, qui conjugii necis horam destinaverat, audita concione resipiscit. 293
Milites duo tironibus initio metum incutiunt, deinde illos perquam humaniter habent. 243. 244
Minimis in rebus sæpe vertuntur maximæ. 267
Misericordia in alienis malis eximia. 359. 360
Misericordia in egenos cum paupertatis studio conjuncta. 162
Modestia juvenum, et exempla Doctorum Complutensium S. J. quendam ad idem vitæ genus alli-

ciunt. 286
Molinosii erroribus femina infecta deprehenditur, et corripitur. 312 seq.

de Montibus (Thomat Josephus) Episcopus Murcianus insignem in pauperes exhibet misericordiam, quam Deus prodigio comprobavit. 312

Morbis etiam corporeis sublevandis juvat Eucharistiæ reverens adoratio. 177

Mors justis hominibus non amara est, sed amata. 165. 236. 374

Mors subitanea qua ratione possit optari. 282

Mulier, quæ mortem sibi consciscere decreverat, mirabiliter ab insano consilio revocatur. 328. seq.

Mundani honoris, et gloriæ pro Jesu Christi amore contemptio. 336 seq.

Murciæ, luctuosa cujusdam morte, ad meliorem vitam multi resurgunt. 313

Nobilis femina magnum ex concione concipit odium mundi muliebris. 354

Nobilissimi viri gravia propter Deum de se sumunt supplicia. 340

Novitiorum duo per vim, et fraudem a cæteris distrahuntur. 249. seq.

Novitius, qui vacillabat, ex illis Christi verbis: *multi sunt vocati*: ad perseverandum inducitur. 147
242. iidem angina tactus a suscepto in patriam itinere revocatur. 243. Tandem graviore pressus morbo, remanet in Hispania. 252. Videsis vocem *Tirones*.

Oarrichena (Joachimus) Burgensis Pœnitentiarius Novitios omni fovet beneficiorum genere. 246
247. 249.
Obedientia religiosis hominibus compendium est utilissimum. 170
Obedientiæ exempla quædam memoranda. 25. 74. 126. 227. 259
260. 271. seqq. 370
Obedientiæ fructus cuidam promissus, deindeque probatus. 304
Occulta, et futura non semel prævidet Petrus Calatayudius. 317
318. 347.
Occupationes externas cum elevatione mentis in Deum conjungendi notabile exemplum. 178. 188
Offensiones præcavendi, quæ verbis fieri possint, aut factis, exquisita diligentia. 235. seq.
Operandi modus ad magnam perfectionem exactus. 62
Operarium evangelicum magis vitæ sanctitas, quam doctrina commendat. 81
Orandi accuratum studium. 92. 93
200. 207. 223. 229. 263. 270. 365
seq.
Oratio cujusdam, cum Eucharisticum viaticum jam esset accepturus. 373
Oratori sacro dictio extemporalis non placet. 99
Oropesæ femina debilis pedibus, repente confirmatur. 343
Ostaletus (Joannes) adventantibus Sanctanderum Novitiis obviam procedit, eosque per civium domos distribuit. 252
Ovetenses Socii fœda tempestate jactantur. 94
Oveti concionem turbat canis horrificus. 353. Pluvia ingruens prece suspenditur. 353. 354

Palentini cives liberaliter Socios excipiunt. 139. Novitios, a plebe procaciter insectatos, miseratione prosequuntur, ac donis. 148. 149
Panzani magna Sociis initio fuit rerum inopia. 365
Paræneses domesticas excipiendi aviditas singularis. 366. seq.
Parochus ab aggressionem furis singulari Dei providentia liberatur. 198
Patientia in acerbis doloribus invicta. 156. 157. 164. 211. 236. 371
Patrocinium Mariæ V. non modo sibi, sed cunctis etiam peccatoribus quidam in extremis horis implorat. 374
Paupertatis voluntariæ exempla quædam insignia. 90. 162. 226. 259
270. seq. 370.
Peccati odium acerbissimum. 20
Peccatoris resipiscentis mors felicissima. 325
Peccatorum deposito fasce, puro repletur animus gaudio. 181
Perfectionis obtinendæ ardentissimum desiderium. 14. 58. 175. 186
Pisadorus (Augustinus) Episcopus Ovetensis P. Calatayudium ad erudiendam suam diœcesim advocat. 351
Piscatoribus ad oram Oceani magno cum labore, sed pari cum fœnore prædicatur. 349. seq.
Pœnas pro noxis debitas in hac potius vita, quam in futura luere quis optat, ne a Dei conspectu retardetur. 371
Precandi studium viget in tirocinio Calviensi. 360
Preces quotidie fusæ, pro sacris mysteriis ante obitum suscipiendis, misericorditer exauditiæ. 276
Publicæ corporis macerationes divini-

nitus comprobantur. 315
 Pudoris tendi sollicitudo. 91. 92. 225
 226. 260. 273. 285. 297. 370. seq.
 Pueri dejerantem reprehendunt hominem, qui, dum illos insequitur, ferro sibi trajicit linguam. 334. seq.
 Puerum, qui castitatis votum emiserrat, B. Virgo ad ingrediendam religionem hortatur. 167. seq.

Quæsitior supremus fidei Monialem quandam Francisco Ate-
 læ dirigendam committit. 5
 Quo quisque comparatus est animo, eodem sibi cæteros fingit. 153
 Quotidianæ ad mortem præparationis norma utilissima. 189

Rabagus (Franciscus) nitorem humanioribus literis additurus, præstantissimum Rhetorem Seminario præficit Villagarsiensi. 3
 Recentes ementiti Philosophi acriter impugnantur. 337
 Regina Elisabetha Farnesia Petrum Calatayudium ad se vocat. 340
 Ejus ministeriis auxilium, et honorem præbet. 341
 Religiosæ vocationis amor vires sufficit, ad labores impigre adoriendos. 274
 Religiosi viri existimatio superfluis non paritur visitationibus. 87
 Reverentia in Sacerdotes exhibita 371

Sacerdos ad Petrum Calatayudium ingressus, illum per excessum mentis reperit abalienatum. 336
 item 345.

Sacerdos deterioris vitæ per exercitia S. Ignatii ad meliora convertitur. 202. seq.
 Sacrificandi reverens, et accurata sollicitudo. 16. 86. 182. 183. 205
 274
 Salutis hominum procurandæ, maximeque debiliorum, strenua sollicitudo. 61
 Samuelis denominatio in tirocinio Matritensi cui esset imposita. 112
 Sanctanderi perhumaniter excipiuntur Novitii. 152. 153
 Schedæ, S. Ignatii nomen inscriptæ, vim habent fugandi Dæmones. 372
 Scholæ Marianæ leges aliquot. 7. 56
 Segoviæ multa movet Diabolus, ut sacram prædicationem impediat. 339. Quædam item insolita cum auditorum commodo eveniunt. 339. 340
 Singularis Dei providentia in repentina cujusdam morte. 283
 Sociorum labores in Corsica. 95
 121. 122. 256. 359. 360. 362. In mari Ligustico. 127. In Apennini transitu. 128. 361. seq.
 Sodalitas Matris Luminis Matriti instituitur. 338
 Solarii (Josephi) tirocinii Genuensis Præpositi erga Hispanos exules caritas. 124. 208. 209
 Sollicitudo in pueris ad literas, et pietatem instituendis. 84 188
 Studium colendi Deiparam solatium in extremis affert. 113

Teresia de Aguirre tabulis, S. Ignatii vitam mire exprimentibus, domum Baldam exornat. 102

Terulii non pauci ægroti ad con-
cionis locum deportari volunt.

334.

Theatrales ludi Catholici Regis lege
reformantur.

337

Timores superandi, qui fiduciam in
Deo imminuant.

17

Timoris Dei fructus uberes, et ju-
cundi.

277. seqq.

Tirocinii tempore vitam finire, cur
novitius quidam optaverit.

135

Tirones, ut in exilium irent, quan-
ta variis in locis superaverint

obstacula. Villægarsia: a pag.

137. Turrecremata: a p. 141. Pa-

lentiæ: a p. 145. Ad pagum S.

Cypriani: 243. Burgis: a p. 245

Tirones Villagarsienses quo pacto
sacris proluderent excursionibus.

78. Ad Turrecrematam detenti,

quam vitæ formam tenuerint. 140.

seqq.

Toletanus Clerus, ac populus præ-
clarum poenitentia: specimen præ-

bet.

335

Tranquillitas animi singularis in re-
bus adversis.

95. 106. 205. 206.

222. 281. 333. 356. 362. 365.

Tranquillitas in operando viam ape-
rit ad plura conficienda.

43

Triana, nobili suburbio Hispalensi,
mirabiles poenitentia: sensus perhi-

bent Ægyptiani.

345

Turcis, et Mauris in prælio captis
annuntiatur Christus, cujus militia:

nonnulli conscribuntur. 314. seqq.

Tyrrheni maris insulas difficile præ-
tervehuntur Socii.

357

Valdivia (Ludovicus) rem chris-
tianam cum fructu, nec sine ad-
versis promovet Almeria. 317
seqq.

V

Valentinorum in Deipara salutanda
nobilis contentio.

320

Vallisoleri copiosi, diversique fruc-
tus ex Evangelii prædicatione ca-

piuntur.

330

Vallisviridis incolæ præclarum reli-
gionis exhibent documentum.

348

Vascones ignotum Oratoris idioma
percepisse se ostendunt.

309

Viduæ Matris conamina, ut filium
ab ineundæ Societatis consilio di-

moveat. 133. Alterius, ne filius

in exilium abeat.

253

Villafranca Bergidorum miseranda
laborat fame, cui depellendæ ad-

laborant Socii.

352

Villanova (Joannes) a Novitiis ex-
plorator præmittitur Sanctande-

rum. 241. Iisdem ad Reinosam

occurrens, faustum suæ profectio-

nis exitum annuntiat. 250. Bur-

gos usque progressus, inde regre-

ditur Sanctanderum. 251. seqq.

Vir improbus per oburgationem ab
Rege factam respiscit.

317. seqq.

Virovescæ, et alibi erigitur Schola
Mariana.

7

Vir quidam, perspecta Sociorum
in adversis constantia, præcon-

ceptam de illis opinionem depo-

nit.

254

Vir quidam religiosus, qui de Ca-
latayudii orationibus minus bene

sentiebat, opinionem suam cum

admiratione deponit.

344. seqq.

Vir, qui nuptialis epuli causa mul-
tos a concione retraxerat, ipse

inter prandendum suffocatur.

293

Virum Apostolicum tenui victu con-
tentum esse decet.

292

ad Vitæ honestæ conditionem affi-
ci, quam quis semel arripuit, utile

in primis est, ac laudabile.

32

Vitæ periculum honesti amore des-

pi-

picitur . 279
 Vocationi divinæ obsequentem fuisse , magnam in morte affert consolationem . 265
 Virtus imperturbata serenitas in magnis animi angoribus . 191

X **X**
 Xaramillus Almeriensis Decanus , pro instituenda Sociorum missione per diocesim , annuos census assignat . 317
 Xaverius (S. Franciscus) cuidam

imploratam opem exhibet , ut peccata rite fateatur . 292
 Xerezii familiæ duæ nobiles inveterata odia deponunt . 346. seq.

Z
 Zelus gloriæ Dei , et salutis hominum ardentissimus . 185
 Zubiaurus (Nicolaus) socius datur P. Calatayudio . 344
 Zuecus (Josephus) diocesin Bracharensem excolit sacris expeditionibus . 332



*Errata.**Corrige.*

Pag.	lin.		
21	4	offendite	offendi te
24	1	meditionis	meditationis
51	30	insotum . <i>in aliq. exempl.</i>	insolitum
116	3	lacymas	lacrymas
118	31	ausculandos	auscultandos
156	32	excervit	excrevit
201	21	egro	ergo
360	11	æruminis	ærumnis



NA

DE

ILL

INO

V

NAVARRETE

--

DE VIRIS

ILLUSTRIBUS

IN CASTELLA

VETERI

I

G-E 156

Bononiae

1793